Annus XV - Vol. XV 5 Maii 1923 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Motu Proprio, p. 193 – Litterae Apostolicae, p. 194 – Epistolae, p. 207.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 224 – *S. C. Concilii*: Responsiones ad dubia, p. 225 – *S. C. de Propaganda Fide*: Nominationes, p. 228 – *S. C. Rituum*: I-III Decreta in Causis Servorum Dei, p. 228; IV-V Responsiones ad dubia, p. 238 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Nominationes, p. 239.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie, p. 240 – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, p. 240 – Maggiordomato di Sua Santità: Nomine, p. 243 – Necrologio, 244.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subnotationis.
Pro Italia, Lib. 12. — Extra Italiam, *Frs.* 15.
Unius fasciculi, Lib. 1 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 5 - 5 maii 1923)

ACTA PII PP. XI

Motu Proprio

PAG.

Post datam. – De Ordinariorum Facultatibus Quinquennalibus. – *20 aprilis 1923* 193

Litterae Apostolicae

I. *Ex hac excelsa.* – Erigitur in Insula Madagascaria Vicariatus Apostolicus de « Maiunga ». – *15 martii 1923* . 194

II. *Quae catholico.* – Erigitur Vicariatus Apostolicus de « Volta Inferiore » in Africa Occidentali. – *15 martii 1923* 195

III. *Romani Pontifices.* – Divus Leonardus a Portu Mauritio caelestis Patronus declaratur Sacerdotum qui in catholicis regionibus ad sacras missiones populares incumbunt. – *17 martii 1923* 196

IV. *Monasterium.* – Perantiqua Praemonstratensis Ordinis Abbatia B. M. V. de « Speinshart », intra fines dioecesis Ratisbonensis, restituitur. – *24 martii 1923* 197

V. *Romanorum Pontificum.* – Ecclesia S. Basilii in civitate Brugensi titulo et privilegiis Basilicae Minoris honestatur. – *13 aprilis 1923* 200

VI. *Quae catholico.* – Separato territorio a Vicariatu Apostolico Natalensi, erigitur praefectura Apostolica de « Swaziland », in Africa Meridionali. – *19 aprilis 1923* 201

VII. *Quod Ioannes.* – Venerabilis Dei Famula Theresia a Iesu Infante, monialis professa Ordinis Carmelitarum excalceatorum, Beata renuntiatur. – *29 aprilis 1923* 202

Epistulae

I. *Conditam abhinc.* – Ad R. D. Paulum Simon, Sacerdotem, Societatis germanicae a Sancto Winfrido, pro haereticorum ad Catholicam fidem reductione, praesidem. – *24 februarii 1923* 207

II. *Praeclarum sane.* – Ad R. P. Eduardum Hugon, ex Ordine Praedicatorum: de Tractatibus dogmaticis ab eodem editis. – *25 februarii 1923* . 208

III. *Visum cognoveramus.* – Ad R. P. D. Franciscum Alexandrum Mailliet, Episcopum Sancti Claudii: XXV Episcopatus natalem gratulatur. – *28 februarii 1923* 209

PAG.

IV. *Vobis sane.* – Ad R. P. Eugenium Reffo, Supremum Moderatorem piae Societatis a Sancto Ioseph: incrementa Instituti abhinc quinquaginta annos conditi gratulatur. – *7 martii 1923* 210

V. *Plenum quintum.* – Ad R. P. D. Augustinum Dontenwill, Archiepiscopum tit. Ptolemaidensem, a quindecim ante annis Superiorem Generalem Missionalium Oblatorum Mariae Immaculatae, initum abhinc XXV annos Episcopatum celebraturum. – *14 martii 1923* 212

VI. *Nec excedere.* – Ad R. P. D. Iosephum Scatti, Episcopum Savonensem et Naulensem: plenum ab inito Episcopatu annum XXV gratulatur. – *15 martii 1923* 213

VII. *Pro conscientia.* – Ad R. P. D. Iacobum Crouzet, Episcopum tit. Zephyriensem, Vicarium Apostolicum de Fort-Dophin, quinquagesimo appetente Sacerdotii eius natali. – *3 aprilis 1923* 214

VIII. *Cum allatum.* – Ad R. P. D. Alphonsum Andreoli, Episcopum Recinetensem et Lauretanum, quinquagesimo pleno anno ab inito Sacerdotio. – *5 aprilis 1923* 215

IX. *Admodum gaudemus.* – Ad R. P. Gulielmum Gier, Superiorem Generalem Societatis a Verbo Divino: de Seminario pro nigritis propediem auspicando. – *5 aprilis 1923* 216

X. *Septimum Italicum.* – Ad R. P. D. Ioannem Baptistam Nasalli-Rocca, Archiepiscopum Bononiensem: septimum Italicum Conventum de oratoriis deque religionis scholis Bononiae, eodem praeside, mox futurum, impense commendat. – *10 aprilis 1923* 218

XI. *Te olim.* – Ad R. P. D. Hubertum Otto, Episcopum tit. Assuritanum, Administratorem Apostolicum vicariatus de « Kansù occidentali »: emensum quinquaginta annorum a sacerdotio spatium gratulatur. – *11 aprilis 1923* 220

XII. *De Conventu.* – Ad R. P. D. Ioannem Gamberoni, Archiepiscopum Vercellensium: de Conventu Eucharistico totius Pedemontanae regionis. – *16 aprilis 1923* 221

XIII. *Fidei Propagandae.* – Ad Emum P. D. Gulielmum titulo Sanctae Crucis in Ierusalem S. R. E. Presb. Card. Van Rossum, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Praefectum: de

Annus XV - Vol. XV 5 Maii 1923 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

MOTU PROPRIO

DE ORDINARIORUM FACULTATIBUS QUINQUENNALIBUS

PIUS PP. XI

Post datam instructionem et statutam normam pro facultatum quinquennalium concessione, complures Episcopi, sive singulatim, sive coniunctim, a Nobis enixe efflagitarunt, ne inolitus iam et vetustus mos mutaretur has facultates obtinendi unico folio typis impresso et ab uno Officio distribuendo. Gravamen enim esse sibi dicebant tot Officia adire, idque facere non posse nisi ope procuratorum et non sine incommodis atque dispendiis.

Quae quidem omnia quum Nobis visa sint digna consideratione, ad gratificandum Episcopis et ad faciliorem ipsis reddendam suarum Ecclesiarum administrationem, praesentibus Litteris *motu proprio* et *certa scientia* statuimus et decernimus, ut in posterum facultates quinquennales, intra limites praefinitos et sub formulis exhibitis die 17 martii 1922, ab una Sacra Congregatione tribuantur, apud quam omnes Episcopi, non obnoxii iurisdictioni sive Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sive Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, relationes suas dioecesanas deferre tenentur, hoc est a Sacra Congregatione Consistoriali. Ministri autem Sacrae Congregationis Consistorialis,

saltem ante initium cuiuscumque quinquennii, a singulis S. Sedis Officiis requirent an in « facultatibus quinquennalibus » aliqua mutatio perficienda sit, eamque in formulis, quae distribuendae deinde erunt, adamussim introducent. Praesentibus valituris, contrariis quibusvis, etiam peculiari mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis aprilis anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ERIGITUR IN INSULA MADAGASCARIA VICARIATUS APOSTOLICUS DE « MAIUNGA ».

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ex hac excelsa Principis Apostolorum cathedra, quam divinitus obtinemus, tamquam e sublimi specula, in omnes christiani orbis partes oculos mentis Nostrae convertimus et quae ad maiorem Dei gloriam fideique incrementum conducere videantur, interposita auctoritate Apostolica, praestare maturamus. Iamvero, ut uberes salutis fructus in apostolico vicariatu de *Diego Suarez*, in insula Madagascaria, feliciter iam suscepti laetius augeantur, cum opportunum visum sit consilium ab eodem apostolico vicariatu, Missionariorum Instituti a Spiritu Sancto curis concredito, qui amplissimo patet territorio, occidentalem partem distrahere ad novam Missionem erigendam, Nos, omnibus rei momentis attente perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec, quae infra scripta sunt, edicimus ac mandamus. Nimirum, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, partem occidentalem territorii a vicariatu apostolico de *Diego Suarez* distrahimus sive separamus, atque inde novum vicariatum apostolicum de *Maiunga* nuncupandum constituimus. Novi huius vicariatus apostolici de *Maiunga* limites sint sequentes: ad septentrionem limes, ab *Analalava* decedens, constituatur fluminibus *Soza* et *Maévarano*,

simul cum limitibus administrativis provinciae de *Diego Suarez;* ad orientem praesentibus provinciis de *Vohémar*, de *Maroansetra* et de *Moramanga*, cum linea partitionis aquarum occurrentibus; ad meridiem, n. 18° latitudinis meridiei; ad occidentem canale de *Mozambico* in cuius aditu archipelagus de *Comores* invenitur, quod in novo vicariatu de *Maiunga* volumus comprehensum. Eumdem autem novum vicariatum curis alumnorum Instituti a Spiritu Sancto committendum statuimus.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS DE « VOLTA INFERIORE » IN AFRICA OCCIDENTALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriàm. – Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iamvero cum ea territorii vicariatus apostolici Togonensis pars in Africa occidentali, quae nunc ditioni anglicae subest, post expulsos Missionarios nationis Germanicae, curis Sodalium Societatis Lugdunensis Missionariorum ad Afros finitimi vicariatus apostolici a Litore aureo commissa, nunc in vicariatum apostolicum proprium erigenda sit, ut uberiore ratione ibidem christiani nominis propagationi prospiciatur, Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec, quae infra scripta sunt, edicimus ac decernimus. Nimirum, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, motu proprio, partem territorii vicariatus apostolici Togonensis in Africa occidentali, anglicae ditioni in praesens subiectam, simul cum duabus regionibus de *Quittah* et de

Tripolis (*Denu*) a finitimo vicariatu apostolico a Litore aureo distrahendis ac separandis, in vicariatum apostolicum erigimus de *Volta inferiore* nuncupandum. Novum autem vicariatum hunc sequentibus limitibus finitum volumus: nempe, ad septentrionem n. 2° 8 33″ limite politico; ad orientem limitibus politicis territorii Togonensis gallici; ad occidentem limitibus vicariatus apostolici a Litore aureo, idest linea quae cursu fluminum de *Volta* et de *Dakka* sequitur; denique ad meridiem Oceano Atlantico. Eumdem vero novum vicariatum de *Volta inferiore* curis sacerdotum Societatis Lugdunensis Missionum ad Afros provinciae Hollandicae commissum volumus.

Haec praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

DIVUS LEONARDUS A PORTU MAURITIO CAELESTIS PATRONUS DECLARATUR SACERDOTUM QUI IN CATHOLICIS REGIONIBUS AD SACRAS MISSIONES POPULARES INCUMBUNT.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romani Pontifices Nostri decessores fidelibus peculiaria munera sive officia vitae christianae implentibus singulares caelestes Patronos adsignare consueverunt, quorum valido uterentur auxilio et sequerentur exempla, huiusmodi ad honorem illos e sanctis caelicolis eligentes, qui in iisdem muneribus et officiis, dum vitam mortalem agerent, maxime excelluissent. Hoc ducti consilio piis precibus annuendum existimavimus dilecti filii Bernardini Klumper, Fratrum Minorum Ministri generalis, qui, amplissimo etiam fretus suffragio Purpurati S. R. E. Principis Orestis Cardinalis Giorgi, Nos instanter rogavit ut sanctum Leonardum a Portu Mauritio, Confessorem, Ordinis sui decus atque ornamentum, caelestem Patronum designare dignemur sacerdotum, qui sacris popularibus missionibus in regionibus catholicis operam navant. Et sane

divus Leonardus, inter Fratres Minores cooptatus et sacerdotio auctus, impiger ac strenuus divini verbi praeco, fere omnes Italiae regiones et urbes sacris expeditionibus lustravit. Vir potens in opere et sermone coram Deo et populo, atque electissimus in vinea Domini operarius, celeberrimis concionibus innumeras conversiones operatus est, efficacia verbi non minus quam sanctitate vitae sordentes in vitiorum caeno homines ad poenitentiam adducens. Expedit ergo ut sacerdotes, qui christiano populo verbum facere student, tanti apostolici viri haereant vestigiis ipsoque caelesti gaudeant Patrono. Quamobrem, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, sanctum Leonardum a Portu Mauritio, Confessorem, in caelestem apud Deum Patronum peculiarem sacerdotum, qui ad sacras populares missiones in regionibus catholicis ubique terrarum incumbunt, eligimus et constituimus.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

PERANTIQUA PRAEMONSTRATENSIS ORDINIS ABBATIA B. M. V. DE « SPEINSHART », INTRA FINES DIOECESIS RATISBONENSIS, RESTITUITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Monasterium Speinshartense, in dioecesi Ratisbonensi et in territorio Bavariae situm, anno MCXLV in honorem Beatae Mariae Virginis fundatum et Ordini Praemonstratensi traditum est a comitibus de Reifenberg, primis religiosis viris ex abbatia Wiltinensi illuc advocatis. Sub visibili caelestis Patronae tutela monasterium idem floruit alumnorum suorum pietate, virtute, doctrina et benefactis; et singularem tum Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum, tum Princi-

pum virorum, tum denique christianae plebis benevolentiam sibi comparavit. Privilegiis spiritualibus auctum, munificis donis ornatum, licet ab Hussitis anno MCCCCXXVIII per nefas fuisset vastatum, tamen ingens amplitudine molis, etiam opibus adeo crevit, ut dignum a decessore Nostro Pio PP. II habitum sit, quod, iuxta vota Capituli generalis anni MCCCCLIX, in abbatiam erigeretur. Auspicata illa occasione constat, per Apostolicum Legatum S. R. E. Cardinalem Bessarionem illius abbatiae Praeposito pontificalia insignia fuisse tradita. Grassante reformatione anno MDLVI Speinshartensis abbatia suppressa fuit, sed post saeculum, anno MDCLXI, in possessionem suae domus religiosi redierunt et triginta post annos, idest anno MDCXCI, in pristinum restituta est abbatia. Continuo, sapientia Praelatorum et doctrina ac pietate alumnorum, talem ipsa abbatia splendorem nacta est, qualem numquam antea obtinuerat, donec, anno MDCCCIII, per nefandam saecularizationis legem, una cum expulsione Ordinis Praemonstratensis ab omnibus Germaniae finibus, Speinshartensis abbatia occubuit. Diversas in manus dispertita sunt bona eius, et ecclesia conventualis anno MDCCCVIII in paroeciam oppidi Speinshartensis conversa est. Ex eo tempore, licet regionis incolae reditum canonicorum Praemonstratensium exoptarent et saepius respicerent in proximiorem Ordinis eiusdem abbatiam, videlicet in Teplensem, illius religiosos quasi divino numine designatos intuentes ad antiquum restituendum monasterium, tamen ad nostros usque dies numquam a civili gubernio Praemonstratensis Ordinis alumnis in Germaniam remeandi facta est potestas. Nunc vero, cum post immane europaeum bellum mutatus sit reipublicae status, dilectus filius Gilbertus Helmer, Abbas Teplensis, Ordinis Praemonstratensis, in Tcheco-slovachia, sapienti ductus consilio cogitavit aliquod recuperare e praeclaris illis Ordinis sui monasteriis, quae olim in Germania magna cum populi utilitate floruerant ante iniquam, quam memoravimus, suppressionem; et, favente Deo, corrogatisque undique munificis largitionibus tam clericorum quam laicorum praestantissimorum, auctore atque auspice Ratisbonensi Ordinario, ipsi Teplensi abbatiae intima semper familiaritate coniunctam Speinshartensem abbatiam, una cum monasterio et continenti fundo, anno MCMXXI coëmere potuit. Idem Teplensis Abbas, eodem anno, festivitate sanctissimi Virginis Rosarii, nempe praecipuo oppidi eiusdem festo die, primos e sua Teplensi abbatia religiosos viros ad Speinshartense coenobium adduxit, quos ovantes gratulantesque cives exceperunt, adstantibus et plaudentibus tam Vicario generali Ratisbonensi cum suo clero, quam civilis gubernii curatoribus. Die autem XVIII mensis octobris nuper elapsi anni MCMXXII paroecia Speinshartensis a loci Ordinario Praemonstratensibus concredita fuit, ac deinde, per authenticum civilis Bavariae

gubernii instrumentum, ipsis tradita. Postea, die XXVII sequentis mensis decembris, monasterium Speinshartense notarii publici instrumento tamquam persona iuridica a civili Bavariae auctoritate agnitum est, atque transitus monasterii cum adnexis hortis, agris et pratis in possessionem religiosorum Praemonstratensium publicis tabulis insertus fuit. Aedificium tam ecclesiae quam monasterii, utpote pulcherrimae artis opus, singulari cum cura a civili gubernio iugiter asservatum et restitutum, ita manet ut nullum inde oriri possit impedimentum quin ibidem bene ordinata communis religiosa vita statim iniri queat. Quae cum ita sint, cumque in praesens nonnulli candidati admissionem suam in Ordinis novitiatum ibidem postulaverint, memoratus Gilbertus Helmer, Abbas Teplensis, annuente ac probante Abbate Generali Ordinis Praemonstratensium, Nos instantibus precibus flagitavit, ut ipsam perantiquam Speinshartensem abbatiam, suprema Apostolica auctoritate, restituere dignemur. Nos autem, huiusmodi votis ultro libenterque annuentes, quod bonum, felix faustumque sit et universo Praemonstratensium Ordini bene vertat, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro religiosorum sodalium negotiis pertractandis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, abbatiam Beatae Mariae Virginis de *Speinshart*, Ordinis Praemonstratensis, in territorio Bavariae, intra fines dioecesis Ratisbonensis positam, cui omnia suppetunt, quae pro familia religiosa sustentanda requiruntur, cum proprio novitiatu et cum iuribus ac privilegiis olim eidem concessis (exceptis tamen privilegiis, quae referuntur ad temporalia ac territorialia ante saecularizationem propria) restituimus in integrum et plene restitutam declaramus. Praeterea decernimus ut Abbas Teplensis sic restitutae abbatiae Beatae Mariae Virginis de *Speinshart* sit ad tempus administrator, usquedum Ordinis Praemonstratensis Generalis Abbas tempus advenisse iudicaverit procedendi ad regularem novi Abbatis electionem.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, dictaeque abbatiae sic restitutae, nunc et in posterum satis superque suffragari; sicque rite iudicandum ac definiendum esse, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

V

ECCLESIA S. BASILII IN CIVITATE BRUGENSI TITULO ET PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum insistentes vestigiis, quae in orbe catholico templa antiquitate, dignitate, artium monumentis excellere videantur, ea consuevimus peculiaribus honoris titulis ac privilegiis locupletare, ut ea populares continentium regionum, et qua maiore fieri potest, reverentia colant, et animorum ardore Deum precaturi invisant. Quam ob rem, cum venerabilis frater Brugensium Episcopus enixas ad Nos preces admoverit, ut ecclesiae Brugensi, quae in honorem sancti Basilii Magni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, est Deo dicata in sua episcopali urbe, dignitatem, titulum ac privilegia Basilicae minoris, pro Nostra benignitate, impertiri dignaremur, Nos Antistitis ipsius optatis annuendum ultro libenterque existimavimus. Et revera novimus ecclesiam eandem inter praecipua templa et monumenta eiusdem dioecesis Brugensis locum obtinere conspicuum; nam antiquitate, structura, artis operibus, supellectilis copia et magnificentia, sacris insignibusque relliquiis eadem fulget; praetereaque ad hunc usque diem non modo ex omni Belgio, sed ex finitimis quoque regionibus christifideles ad hanc sacram aedem Dei opem imploraturi turmatim confluunt. Cum igitur velimus Nos etiam christifidelibus tum Brugensis tum finitimarum dioecesium stimulos addere, ut maiore in dies prosequantur veneratione hoc templum, quod in honorem Sancti Basilii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, est Deo dicatum Brugensi in urbe: conlatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, templum Sancti Basilii, Episcopi, Confessoris atque Ecclesiae Doctoris, quod supra memoravimus, dignitate ac titulo Basilicae minoris honestamus, cum omnibus honoribus, praerogativis, privilegiis, indultis, quae minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt.

Haec statuimus, concedimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quid-

quam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VI

SEPARATO TERRITORIO A VICARIATU APOSTOLICO NATALENSI, ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE « SWAZILAND », IN AFRICA MERIDIONALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi apostolatus officium, quod, commissum Nobis divinitus, in terris obimus. Hoc ducti consilio ultro libenterque annuendum censuimus precibus oblatis Nobis a dilecto filio hodierno Priore generali Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui haec, quae sequuntur, Nobis exponenda curavit. Sodales scilicet Ordinis sui, iam inde ab anno MDCCCCXIV evangelizationis opus in orientali parte vicariatus apostolici Natalensis in Africa meridionali incepisse, sub iurisdictione illius Vicarii Apostolici, et apprime in regione vulgo dicta *Swaziland;* nunc vero, quo maiora religionis incrementa in illo territorio facilius promoveantur, sibi in votis admodum esse, ut praedicta Missio, curis suorum alumnorum concredita, in praefecturam apostolicam per Nos erigatur. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, a vicariatu apostolico Natalensi regionem de *Swaziland* subtrahimus sive dismembramus, eamdemque in praefecturam apostolicam sub nomine de *Swaziland* erigimus. Hanc autem novam praefecturam apostolicam curis sacerdotum praedicti Ordinis Servorum B. M. V. committimus; et statuimus ut eadem comprehendat totum territorium de *Swaziland,* atque a sequentibus limitibus circumscribatur: nempe ad orientem a possessionibus Lusitanis et a *Tongoland;* ad meridiem a praefectura de *Zululand;* ad occidentem et ad septentrionem a vicariatu apostolico Transwaalensi.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VII

VENERABILIS DEI FAMULA THERESIA A IESU INFANTE, MONIALIS PROFESSA ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quod Ioannes vidit in monte Sion virgineum agmen *sequi Agnum quocumque ierit* et suavissimum audivit edere canticum *quod nemo poterat dicere*, luculenter demonstrat quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas, ea nimirum vivendi ratio angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Omnium singulare hoc evangelicae gratiae munus, post magnam Virginem Dei parentem, quae merito virginalis decoris auctor est habita, plures candidis amictae stolis in Ecclesia Dei studiose retinuerunt puellae, quae fluxis mundi voluptatibus et illecebris caelestia gaudia numquam peritura antetulerunt. Quapropter in Ecclesia catholica purpureis martyrum rosis intertexta sunt nivea virginum lilia, ita ut ex iis splendidissima nectatur illa corona, qua immaculata Christi sponsa gaudet redimiri. In istiusmodi puellarum virginum agmine hac nostra aetate praeclare excelluit Theresia a Iesu Infante, monialis professa, Carmelitarum Ordinis decus et ornamentum, quae *consummata brevi implevit tempora multa*, devotumque caelesti Agno virginalem candorem magna cumulavit eximiarum laude virtutum. Alensonii, intra fines dioecesis Sagiensis, nata est Serva Dei, postrema novem liberorum, Aloisio Iosepho Stanislao Martin et Maria Zelia Guérin parentibus, qui tum fortunae bonis tum magna christianae pietatis laude summopere commendabantur, die secunda mensis ianuarii anno MDCCCLXXIII, et quarto mensis eiusdem die lustralibus aquis ablutae puellae Mariae Franciscae Theresiae nomen fuit. Quo tempore Dei Famula in

lucem est edita, pater, honestissimo aurificis commercio satis amplis opibus partis, totum se familiae educationi devoverat, quo pio in opere sociam et adiutricem nactus est uxorem, quae traditur habuisse in votis ut filiae, quas quinque susceperat, Deo virginitatem dicarent; quod reapse alia post aliam praestitere. Hoc in pietatis domicilio, vix bimulae puellae primum rationis diluculum emicuit, continuo visa est rapi virtutis pulcritudine, eamque, ne Iesu Infanti displiceret, omni studio coepit adamare. Vix quartum aetatis annum excesserat, cum immatura dilectae genetricis mors acerbo infantulae animum dolore perculit, et nativam iucunditatem prorsus ademit. Maiores natu sorores Paulina et Leonia educandae Theresiae curam susceperunt, quae ipsis, sicut erga matrem iam fuerat, morigeram sese in omnibus praebuit atque obsequentem. Puerilibus nugis et ludis etiam licitis abstinens, in secretum domi recedens caelestium contemplatione delectabatur. Ut, amissa coniuge, filiarum custodiae atque institutioni melius prospiceret, cum universa familia pater Lexovium migravit, eaque in urbe monialibus Ordinis S. Benedicti venerabilis Dei famula in disciplinam datur. Experrecto super aetatem ingenio uberes in studiis progressus fecit, praesertim in historicis; catechesim autem adeo egregie didicit, ut *parva magistra* appellaretur. Acri memoria praedita, integrum *De Christi imitatione* librum ad literam retinuit, et sacras Scripturas non minus calluit, dum omnia christianae pietatis officia persolvebat sic ad pietatem et modestiam composita, ut ceteris exemplo esset et incitamento ad imitandum. Interea gravi afficitur morbo, cuius indoles vel medentes fugit; fuitque non inconsulta familiarium opinio, infirmitatem illam fuisse mali daemonis arte immissam, praesentientis quantas a puella clades foret relaturus; eandemque opinionem post fusas ad Beatam Virginem preces mirabilis ac subitanea sanatio confirmavit. At miro flagrans erga Deum amore puella iamdiu esuriebat caelestes dapes, sed iuxta dioecesis leges a suscipienda Eucharistia aetatis causa – nondum enim attigerat decimum annum – adhuc removebatur. Tandem auspicata illuxit octava dies mensis maii anni MDCCCLXXXIV, qua datum ei fuit ardens votum implere et, incredibili perfusa gaudio, dulciter illacrymans, amoremque ore spirans, Angelorum Pane recreata est. Paulo post sacro Confirmationis chrismate inungitur ad recipienda Spiritus Sancti dona satis superque matura. Illis quidem annis venerabilis Ancillae Dei maiores natu sorores, mundo valedicentes et familiam relinquentes, se in Carmeli claustra abdiderunt. Discessus sororum a paterna domo gravi puellam dolore affecit, opportunumque genitoris eius consilium visum est e Benedictinarum gynaeceo Theresiam revocare, ut domi quod de studiorum curriculo ei absolvendum supererat, expleret.

Sed, in hac vitae conditione, et infirmae corporis valetudini et animae angoribus obnoxia fuit puella: spiritus ariditate devexata, saepe erumpebat in lacrymas, assidua iugiter prece Deum rogans ut vias suas ostenderet. Et oranti filiolae suae benignas aures praebuit Deus. Nocte enim natali Salvatoris nostri, anno MDCCCLXXXVI, dum sollemni sacro piissime adstat, Theresia continuo a quibusque intimis angoribus sese liberari sentit, metus abire omnes atque ad novos sensus impetus animi effundi. Inde ad sanctitatis semitam decurrendam ut gigas exsultare visa est, pietatis caritatisque opera vividiore studio complecti, atque in Carmelitica claustra coepit cogitare. Piissimus pater, qui iam Deo tres filias donaverat, licet acerbissimum discidii ferret dolorem, non renuit tamen Theresiam voti compotem reddere; sed ecclesiastici moderatores puellam vix quindecim annos natam se rigidissimae religiosae vitae posse mancipare omnino negarunt. Sancti tenax propositi directe ad Romanam Sedem venerabilis Serva Dei statuit provocare, et una cum genitore civium suorum Romam peregrinantium agmini se miscuit. Ut in conspectum stetit Nostri praedecessoris Leonis XIII Pontificis, naturali devictâ timiditate, sese ad eius pedes proiecit, animique sui votum aperuit; sed Pontifex ad Superiorum placitum supplicantem remisit. Tanta frustrata spe, acerbissimum dolorem aequo animo tulit heroica virgo et divinae voluntati acquievit, donec Episcopus, tanta permotus virtute, optatam ei veniam largitus est. Quare, die IX mensis aprilis anni MDCCCLXXXVIII, Carmelitica claustra Lexoviensis civitatis ingreditur Ancilla Dei, adepta tandem quod tanto amore concupiverat. Tyruncula vel a primis initae religiosae vitae diebus statim apparuit adeo in sanctitate probata, ut magistra tyronibus praeposita numquam se tam piam alumnam habuisse fateretur. Nuncupatis religiosis votis die VIII mensis septembris anni MDCCCLXXXX, Theresia a Puero Iesu maluit vocari, quasi ipso nomine significaret peculiare illud sanctitatis genus ad quod summa navitate contendit, ad perfectionem illam quae quasi *infantia spiritualis* appellatur, iuxta increatae Sapientiae praeceptum: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matth., XVIII, 3). Et sane ut infans in complexu matris tuto requiescit, ita se divinae Providentiae totam commisit Ancilla Dei. Simplex sicuti columba *nidificans in summo ore foraminis*, suspexit unice in caelum; candidam in baptismate susceptam stolam usque immaculatam servavit. Triennio post professionem votorum, asceterii Lexoviensis Antistitae Agneti a Iesu, ipsius Servae Dei germanae sorori, visum est se non posse meliore ratione tyronibus instituendis prospicere, quam si iisdem praeficeret Theresiam, titulo et munere magistrae adiutricis eidem tributo. Sic viginti annos nata Ancilla Dei gravissimum susce-

pit pondus instituendarum tyronum, quod ad obitum usque retinuit, et singulari prudentia suique abnegatione, non minus quam uberrimo cum spirituali fructu, commissum munus obivit. Totam se alumnarum bono devovens, mater illis erat et soror; angelicam prae se ferens suavitatem, pia, mitis, humilis, obediens, disciplinae observantissima, quae verbo docebat confirmabat exemplo. Virtutum omnium laude florens fervido excelluit in Deum amore et, ad instar divi Francisci Asisiensis, perpetuus amoris canticus in eius anima personabat. Numeris quidem intimos sensus tradidit et carmina non invenusta finxit, ut divini amoris mysteria concelebraret. Superioribus quoque iubentibus, ad plurimorum aedificationem et salutem, ut viam illis ostenderet quae ad plenitudinem amoris adducit, quae ipsa fecerat et docuerat scripto commisit; et in hoc vitae commentario, in praesens per universum orbem diffuso, rec. mem. decessor Noster Pius PP. X nitere in exemplum virtutes et fere spirare animam Lexoviensis virginis asserere non dubitavit. Sed iam vitae Servae Dei finis appropinquabat et fecisse Dominus ipse visus est finem praesagio quod homines ceperant de puella animi candore et ipsa forma angelis simillima, eam nempe non posse diutius in humanis commorari. Cum enim explevisset tertium supra vigesimum aetatis annum, pulmonum tabe corripitur, quin tamen de arctissima communis religiosae vitae ratione quidquam remitteret, donec lectulo decumbere, viribus deficientibus, coacta est. Menses quinque dirissime excruciata, hilari vultu et miranda patientia, pati pro Christo et *dissolvi* cupiens *et cum Christo esse*, saevos dolores pertulit. Caelestis amoris igne consumi potius quam morbo visa est, et Ancillae Dei decumbentis lectulus religiosae familiae universae sanctitatis cathedra fuit, donec, die trigesima mensis septembris anni MDCCCLXXXVII, caelesti visu recreata, placidissimo exitu ad caelestis Sponsi nuptias convolavit. Funebribus iustis rite solutis, in Lexoviensi coemeterio condita est; sed brevi sanctae virginis nomen in toto catholico orbe coepit celebrari, factumque est *sepulcrum eius gloriosum* (Isa., XI, 10). Percrebrescente igitur fama sanctitatis, caelestibus confirmata signis et miraculis, penes sacrorum rituum Congregationem causa agitari coepta est de caelitum honoribus Ancillae Dei decernendis. Ut de virtutibus eius inquireretur tum Lexovii tum Romae tabulae de more conditae sunt; omnibusque probationibus iuridice sumptis ac rite perpensis, rec. mem. decessor Noster Benedictus PP. XV sollemni decreto, decimo nono kalendas septembris anno MDCCCCXXI edito, sanxit Theresiae a Iesu Infante virtutes heroicum attigisse fastigium. Absque ulla mora inita deinde est actio de miraculis quae ea deprecante divinitus peracta ferebantur, omnibusque de iure absolutis, Nos ipsi, tertio idus februarias vertentis anni MDCCCCXXII prolato decreto, de duobus

miraculis constare pronuntiavimus. Porro cum de heroicitate virtutum nec non de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum num venerabilis Dei Famula inter Beatos caelicolas tuto recensenda foret. Id praestitit venerabilis frater Noster Antonius Cardinalis Vico, Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae, causae relator, in generalibus comitiis coram Nobis in Vaticanis aedibus, die sexta martii mensis huius anni, habitis; omnesque tum Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores, unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero Nostram aperire mentem distulimus, donec, in tanti momenti re, iteratis precibus caeleste lumen impetraremus.

Quod cum impense fecissemus, auspicatissima die qua sancti Patriarchae Iosephi, inclyti Beatae Mariae Virginis Sponsi Ecclesiaeque Patroni festum agitur, huius quidem anni, eucharistico litato Sacrificio, adstantibus eodem Episcopo Cardinali Antonio Vico, causae relatore et sacrorum rituum Congregationi Praefecto, nec non dilectis filiis Angelo Mariani, Promotore Fidei generali, et Alexandro Verde, sacrorum rituum Congregationis Secretario, tuto procedi posse decrevimus ad sollemnem venerabilis Servae Dei Theresiae a Iesu Infante Beatificationem.

Quae cum ita sint, Nos, moti precibus universi Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, auctoritate Nostra apostolica, harum Literarum vi, facultatem facimus ut venerabilis Serva Dei Theresia a Iesu Infante, monialis professa ipsius Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Beatae nomine nuncupetur, eiusque corpus et lypsana sive relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica concedimus ut de illa recitetur Officium et Missa celebretur singulis anni diebus de Communi Virginum cum orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Baiocensi et Lexoviensi atque in templis omnibus et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Ordo Carmelitarum Excalceatorum, ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missam attinet, ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus festum agitur confluentibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis eiusdem venerabilis Dei Famulae Theresiae a Iesu Infante in dioecesi ac in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem sollemnia in patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii sacrorum rituum Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, in disceptationibus etiam iudicialibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis aprilis, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. D. PAULUM SIMON, SACERDOTEM, SOCIETATIS GERMANICAE A SANCTO WINFRIDO, PRO HAERETICORUM AD CATHOLICAM FIDEM REDUCTIONE, PRAESIDEM.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Conditam abhinc triennium in Paderbornensi dioecesi Societatem, titulo *Winfriedbund*, vel necessitati vel saltem magnae cuidam utilitati parere, quamquam ex ipsa eius propagatione coniicere licet, cum sodalium numerus, et clericorum et laicorum, ad plura millia tam brevi intervallo increbruerit, erit tamen omnibus apertum atque perspicuum, quicumque perpenderint, quid ipsimet vobis proposueritis et quo pacto illud idem efficere nitamini. Actio enim vestra eo pertinet, ut quos e civibus istis saeculare discidium ab Ecclesia catholica distinet, eos ad complexum antiquae Matris revocetis: quae sane actio, cum plane officio Ecclesiae ipsi divinitus commisso respondeat, tum Dei voluntati congruit aptissime, qui *mandavit unicuique de proximo suo.*

Ad eiusmodi autem reconciliationem procurandam quo sibi sodales faciliorem aditum viamque muniant, illud religioni habent, ut verbis scriptisque, ab omni asperitate remotis, praeiudicatas convellant opiniones quae de Ecclesia catholica apud bene multos sunt istic inveteratae, simulque nativam ac genuinam catholicae fidei vim pulchritudinemque perdiligenter illustrent. At etiam aliud agitis, sine quo vel summa dicendi, scribendi persuadendique facultas haud satis habeat hoc in genere efficacitatis: nempe, instituto ipsorum vestro, et optimae vitae exemplo praeire ceteris contenditis, et a Deo sollicita exposcitis prece, ut illucescat

aliquando ille dies, quo omnes cives vestri in eiusdem fidei professione vobiscum consentiant. Neque minore iis caritate prospicitis, qui ad pascua vitae aeternae redierint; quibus cum saepe contingat ut miseriore iam tum condicione conflictentur, iis subvenire quoquo modo studetis. Libenter igitur Sodalitatem vestram sic probamus, quemadmodum Germaniae Episcopi, qui Fuldam duobus proximis annis de more convenerant, semel iterumque probavere. Verum, ne quid incommodi ex opera vestra oriatur, quae ceteroqui tam laetam Nobis spem exspectationemque facit uberrimorum fructuum, id unum vos paterna auctoritate monemus, ut in agendo moderationem ac suavitatem perpetuo adhibeatis et Episcopis dicto audientes sitis, quorum est de opportunitate conatuum vestrorum, pro locorum varietate, iudicare. Cavere enim debetis potissimum, ne usquam, improvido abrepti studio, id audeatis, unde acatholicorum offensio cum animorum detrimento magis augeatur quam minuatur. Divinus autem hominum Redemptor, qui venit *salvum facere quod perierat*, coeptis adsit vestris caelestium effusione gratiarum; quarum auspex paternaeque benevolentiae Nostrae testis sit apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, et universis Sodalitatis, cui praees, sociis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis februarii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. EDUARDUM HUGON, EX ORDINE PRAEDICATORUM: DE TRACTATIBUS DOGMATICIS AB EODEM EDITIS.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Praeclarum sane ingenii tui fructum, oblata nuper a te volumina accepimus, quae *Tractatus Dogmatici* inscribuntur; eaque cum sensim, quantum per occupationes licuit, evolveremus, vidimus, scripta quidem tua, ut superiorum Pontificum insigni commendata sunt praeconio, sic peculiare a Nobis laudis testimonium postulare. Etenim Pius X s. m., cum *Cursum Philosophiae Thomisticae* edidisses, tibi gratulatus vehementer est « et sincera sancti Thomae doctrinam et copiam compositionemque rerum et « scribendi perspicuitatem »; neque ignoramus proximum Decessorem id tibi honori tribuisse, quod religionis mysteria faciliore expositione ad captum fidelium aptasses sacrasque disciplinas ad pietatem fovendam

percommode adhibuisses. Nobis autem tractatus istos, dilecte fili, tuos, quibus, ad modum commentarii in praecipuas quaestiones dogmaticas Summae sancti Thomae, rem theologicam in studiosorum utilitatem explanas, scito admodum probari, eo vel magis quod ea praeoccupasse videris, quae, data ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii Seminariis et Studiorum Universitatibus curandis Epistola Apostolica, haud ita pridem Nosmet ipsi praecepimus. Secutus enim es, ut ibi tum monebamus, « non « solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia « sancti Thomae »; et theologiam positivam, quam vocant, etsi totius tractationis nullam non partem attingit, ita tamen scholasticae servire iussisti, ut principem haec locum, quemadmodum aequum erat, obtineret. Iam non igitur opus tuum sterili quadam dogmatum recensione constat, immo etiam prae se fert « verum atque solidum disciplinae corpus, « ex principiis et conclusionibus compactum »: in eoque placet praeterea, cum rerum orationisque perspicuitatem, tum studium commendare, quo soles, occasione data, pietatis igniculos opportunis commentationibus lectoris animo iniicere. Itaque pergito alacer ad mentem Aquinatis sacras verbo scriptisque disciplinas iuvenibus sacerdotio initiandis tradere: quod ut tibi diu feliciterque contingat, caelestis sapientiae munerum auspicem, paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis februarii anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. FRANCISCUM ALEXANDRUM MAILLET, EPISCOPUM SANCTI CLAUDII: XXV EPISCOPATUS NATALEM GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Vixdum cognoveramus, adventare diem tibi faustum, quintum nempe ac vicesimum episcopatus natalem, cum in societatem laetitiae tuae venire decrevimus. Et venimus quidem perlibenter, non modo quia communia cum Ecclesiae Pastoribus habemus quaecumque iis laeta tristia contingunt, sed etiam causâ singillatim tuâ, qui, in emetiendo hoc haud brevi episcopalis muneris spatio, nihil reliqui feceris quod esset dioecesi tibi ad gubernandum commissae aliquo pacto profuturum. Novimus profecto, clerum populumque tuum, per eas, in quas incidisti, rerum temporumque vicissi-

tudines, nec pauca tibi nec mediocria solacia adhibuisse: quod quidem Nobis pollicetur fore, ut, hac in eventus faustitate, nullae ab iis omnibus tibi desint amoris observantiaeque significationes. Quibus cum praeire velimus paterno gratulationum ominumque testimonio, tibi equidem gratulamur ex animo illam, quam apud Deum et coram Ecclesia tibi peperisti, egregie factorum laudem; optamus autem cupimusque, ut diu incolumis gregi regundo serveris, copiosissimamque ita mercedem illam efficias, quam, suo tempore, Pastorum Princeps Iesus Christus est tibi, pro studiosa ovium suarum curatione, repensurus. Quo, praeterea, eventus iste tuis fructuosior evadat, damus libenter, ut, quo die sollemnia ob initum a te abhinc quinque et viginti annos episcopatum in cathedrali templo peragentur, adstantibus Nostro nomine benedicas, proposita iisdem plena admissorum venia, usitatis condicionibus lucranda. Caelestium interea gratiarum conciliatricem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et universo clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis februarii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. EUGENIUM REFFO, SUPREMUM MODERATOREM PIAE SOCIETATIS A SANCTO IOSEPH: INCREMENTA INSTITUTI ABHINC QUINQUAGINTA ANNOS CONDITI GRATULATUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Vobis sane gratissimus undevicesimus huius mensis dies illucescet, quo die, abhinc quinquaginta annos, in sacello Conlegii Taurinensis Opificum a Sancto Ioseph, Societatis vestrae initia, auspice castissimo Beatae Mariae Virginis Sponso, Leonardus Murialdo occulte taciteque, pro sua animi demissione, posuit, et tum quidem posuit, cum sibi visus est, nisi fecisset, non tam sanctorum doctorumque virorum consilia quam Dei iussa esse recusaturus. Quamobrem, cum christiana humilitas in eius animo tam alte defixa haereret, nihil mirum si voluit, eam virtutem, cum caritate coniunctam, esse veluti notam omnino peculiarem ac propriam Congregationis suae, ut, Christi caritate flagrantes, adulescentibus rite educendis vos totos devoveretis, simulque in silentio atque obscuritate, quantum fieri poterat, actio omnium vestra lateret. Utrumque ex optato Conditoris ac Patris legiferi, benignitate Illius qui *humilibus dat gratiam*, contigisse, non sine magna

animi Nostri delectatione conspicimus. Pia enim Societas vestra, ut planta in arborem ramosam paulatim succrescit, sic, nulla fama nulloque hominum rumore, paene ignota vel in regione ipsa unde orta erat, iam late per Italiam propagata est, et in hac quoque Alma Urbe vos, Apostolicae Sedis concessu, paroeciam, cum maxima populi vobis commissi utilitate, abhinc non paucos annos geritis. Immo etiam vestrum religionis aeternaeque animarum salutis studium tum clarius apparuit cum, Dei auxilio freti, ampliorem cepistis difficilioremque provinciam: missiones dicimus ad exteras regiones, ut in Brasiliensi republica, ut in Aequatoriana habetis. Ubicumque autem sedem constituistis, novimus praecipuam vos operam, congruenter quidem naturae Sodalitatis temporumque condicioni, in iuventutem christiane instituendam impendisse, in eamque potissimum, quae, vel inops vel orba a parentibus vel a suis neglecta, maternas Ecclesiae curas potiore sibi iure vindicat. Quare Instituta operibus atque artificiis tradendis, domos orbis tutandis, colonias adulescentibus ad agrorum culturam informandis, Oratoria et Patronatus quos vocant, ludos et Conlegia erigere atque omnia demum consuevistis efficere, quibus puerilis vel adulta aetas ad sancte utiliterque vivendum excolatur. Tibi igitur, dilecte fili, et religiosae Sodalitati, cui tam sollerter praees, cum emensum laudabiliter actuoseque horum quinquaginta annorum spatium summopere gratulamur, tum optima quaeque cupimus vehementer; neque enim benevolentia vobis Nostra unquam deerit, ut decessorum Nostrorum Pii X et Benedicti XV non defuit. Quodsi praeteriti huius temporis cursum respiciatis, erit profecto cur et providentissimo Deo confidatis cotidie magis et animos in spem bonam laetamque uberiorum fructuum erigatis; quo praeterea caelesti utimini Patrono, eum, ut vobis propitium usque adhuc experti estis, sic habebitis nullo non tempore praesentissimum, vobisque item e caelo aderit Parens ipse Sodalitatis vestrae, cuius singulares virtutes imitari contenditis. At vero humilitatis caritatisque spiritum, quem ex conditoris ipsius exemplo ac disciplina hausistis ac veluti imbibistis, sic servatote integrum, et quod, aucta posthac navitate, facturi estis sic simplicitatis ac modestiae quasi velis occulite, ut plurimum capiat opera vestra efficacitatis e divinarum copia gratiarum, quas vobis tali vitae instituto conciliabitis. Quarum interea auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et cunctis, quos moderaris, religiosis viris, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VII mensis martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

V

AD R. P. D. AUGUSTINUM DONTENWILL, ARCHIEPISCOPUM TIT. PTOLEMAIDENSEM, A QUINDECIM ANTE ANNIS SUPERIOREM GENERALEM MISSIONALIUM OBLATORUM MARIAE IMMACULATAE, INITUM ABHINC XXV ANNOS EPISCOPATUM CELEBRATURUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Plenum quintum ac vicesimum ab inito episcopatu annum, quemadmodum ipse, gratiis ex animo agendis, bonorum omnium datori Deo acceptum refers, ita ingenti laetitia commemoraturi sunt religiosi viri, quibus utiliter regundis te totum abhinc quindecim annos dedidisti. In quo quantum ii tibi confiderent de tuaque opera sibi sponderent, perspicuo illud argumento est, quod, cum Neo-Westmonasteriensem Ecclesiam sapienter gubernasses eidemque in archiepiscopalem nomine Vancuveriensem erectae praefectus esses, te summum Congregationis moderatorem ea voluntatum consensione delegerunt, ut non ante quieverint quam s. m. decessor Noster Pius X, raro hoc in genere exemplo, vacuum te esse iussit pastorali officio ut Sodalitatis tuae regimen capesseres. Quam autem Sodalibus Oblatis exspectationem tui commoveras, eam te explevisse omnem probe novimus. Praeterquam enim quod religiosorum alumnorumque numerus est hoc temporis intervallo mirifice auctus, adiunctâ quoque veteribus provinciis aliarum quinque accessione, nihil praeterea reliqui fecisti ut missionum utilitatibus consuleres quae per quinque orbis terrarum partes commissae tuis essent. Communi sane tuo tuorumque studio catholica fides inter Canadensis regionis indigenas ea cepit incrementa, ut duo novi ibidem constituti sint vicariatus apostolici; teque nec itinerum diuturnitas atque asperitas, nec locorum natura caelique varietas deterruit, quominus missiones eas omnes, qua late patent, peragrares stationesque paene singulas inviseres, ut sacrorum Christi legatorum animos consulendo ac bene precando ad perferendos nobilissimi officii labores confirmares atque acueres. Sed aliam placet gubernationis tuae memorare laudem, quae minus fortasse apparet ac splendet, cum, contra, sine ulla dubitatione supra ceteras emineat: tuam illam intellegimus constantem curam et sollicitudinem de interioris vitae exercitatione apud tuos augenda, quam quidem vitam nisi vivimus, nostram proximorumque sanctificationem, quamvis laboriose quaeramus, haud tamen efficienter promovemus. Quam ad rem cum tibi persuasum habeas plurimum prodesse accuratissimam religiosae vivendi disciplinae observationem, eam non

modo editis scriptis datisque ad universam Congregationem litteris, sed etiam, immo potissimum, exemplo ipse tuo tueris ac provehis. Neque minus tibi curae est, ut Missionales Oblati summa reverentia atque amore Apostolicam Sedem prosequantur: qua ex eorum cum Iesu Christi Vicario coniunctione recte putas vim ac virtutem ad optima quaeque patranda in Sodalitatis viscera haud mediocrem defluere atque insinuari. Haec sane omnia, ut tibi proximorum decessorum benevolentiam peperere, ita Nostram, et merito quidem, conciliant; cuius publico sint testimonio gratulationes et vota, quibus gaudium laetitiamque participare tuam et cumulare quodammodo volumus. Tibi enim, venerabilis frater, eventum tam faustum gratulamur; fructus gratulamur tam uberes, quos in dioecesi ante, in Congregatione postea moderanda cepisti; gratiam denique auctoritatemque gratulamur, qua, praesertim apud tuos, iam diu flores cum ob prudentiam et aequabilitatem in gubernando, tum ob praeclaras animi ingeniique tui laudes. Ac praeterea ominamur optamusque, velit tibi Immaculata Dei Genetrix, qua utimini Patrona, illud impetrare, ut longissimam posthac aetatem exigas egregieque factis inlustrare pergas. Caelestium interea munerum auspex paternaeque caritatis Nostrae testis sit apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater, et toti, cui praees, Sodalitati amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VI

AD R. P. D. IOSEPHUM SCATTI, EPISCOPUM SAVONENSEM ET NAULENSEM: PLENUM AB INITO EPISCOPATU ANNUM XXV GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Nec excedere illud e memoria Nostra poterat, quod die nono et vicesimo proximi mensis aprilis natalem ages quintum ac vicesimum episcopatus tui, nec Nos edoceri opus est, quae quantaque, hoc satis longo pastoralis muneris spatio, in bonum dioecesium istarum tuarum gesseris. Ex quo enim, cum adolesceremus, te magistro, docto quidem et optimo, usi sumus – quod commemorantes, mira quadam suavitate perfundimur, – iam tum ad te vitaeque tuae curriculum gratam cogitationem animumque tui studiosum usque adhuc traduximus; et vix suspicari potes, quam libentibus Nobis oblata sit occasio publice declarandi quanti te operamque tuam faciamus.

Qua profecto in aestimanda omnino Nobiscum consentire novimus, quem habes tibi concreditum, utriusque dioecesis clerum et populum; qui quidem, apparandis in faustum diem sollemnibus, et Antistitem de se praeclare meritum honestare et venerabilem senem tamdiu secum tamque utiliter versatum multiplici cupit pietatis suae recreare solacio. Quas igitur, venerabilis frater, fideles tui proximo in evento edituri sunt amoris laetitiaeque significationes, illas eo iucundius excipe, quod et probamus ut tibi satis superque debitas et Nosmet ipsi, quasi praesentes adessemus, participabimus ex animo. Et sane quod te nuper inter Episcopos Pontificio Solio adstantes cooptavimus, id non tam Nos fecimus ut labores rependeremus tuos, quorum aequam remunerationem nisi a Christo Iesu Pastorum Principe impetrare nequeas, quam ut filii tui animadverterent, se voluntatem tibi gratificandi Nobiscum habere communem. Immo addimus, velle Nos ut Savonenses Naulensesque sciant, quicquid causâ tuâ propediem peracturi sunt, id omne Nobis fore perinde gratum ac si causâ Nostrâ peragerent. Itaque veteri carissimoque praeceptori cum plenum ab inito episcopatu quintum ac vicesimum, tum exactum octogesimum aetatis annum vehementer gratulamur; et cupimus optamusque, ut episcopatum atque aetatem tibi Ille, cuius vices gerimus, quam diutissime producat. Quod si auspicato evenerit, id etiam sequetur, ut diutissime fruaris et gregis tui amore et benevolentia Nostra: cuius quidem benevolentiae testem, et caelestium gratiarum conciliatricem, apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis martii, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VII

AD R. P. D. IACOBUM CROUZET, EPISCOPUM TIT. ZEPHYRIENSEM, VICARIUM APOSTOLICUM DE FORT-DOPHIN, QUINQUAGESIMO APPETENTE SACERDOTII EIUS NATALI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Pro conscientia eius quo divinitus fungimur apostolico officio, tam flagranti catholici nominis proferendi tenemur desiderio, ut, praeterquam quod omnia experimur quae missionum incremento conducant, etiam generosos eos viros in oculis feramus, qui, patriâ domoque relictâ, infideles multo su-

dore ad christianam doctrinam humanitatemque excolunt. Quos inter tu, venerabilis frater, honestissimum sane locum obtines; vix enim sacerdotio initiatus eras, cum in Syriam studio fidei propagandae profectus es, ubi, quindecim circiter per annos, sic te omnibus probasti, ut delectus sis qui primo vicariatum apostolicum Abyssiniae, deinde istum, cui hodie quoque praees, episcopali auctus dignitate, gubernares. Iamvero, cum quinquagesimus appropinquet sacerdotii tui natalis, volumus ille tibi iucundior exsistat, cogitanti, non esse dubitandum, quin exantlatos a te tam diuturno temporis spatio labores maximo Iesus Christus afficiat praemio, quandoquidem eius Vicarius et utilissime in animarum salutem insumptos agnoscit et vehementer dilaudat. Quasi igitur caelestis illius remunerationis gaudia praecipiens, habeas publicam gratulationis Nostrae significationem, quam merito putamus et tibi et filiis istis fore pergratam, quos tui amantissimos haud minore caritate prosequeris; iidem enim, cum libenter audient patrem suum a communi omnium Patre magni fieri singulariterque honestari, tum quicquid, ob beneficia a te accepta, ipsa fausti eventi occasione parant in testimonium grati animi sui facere, multo quidem prolixius ardentiusque facturi sunt. Itaque in Deum benignissimum memor piusque suspice, qui, ut iuventutem novensilis sacerdotis quinquagesimo ante anno laetificavit, sic senectutem actuosi episcopi praeclaro hodie solacio laetificat; ab eoque efflagitare ne verearis, quemadmodum Nosmet ipsi exposcimus, ut te quam diutissime populo tibi commisso adesse velit; ex quo futurum profecto est, ut, viribus in eius emolumentum ad extremum spiritum impensis, et tua cotidie augeas promerita et eorundem in caelis mercedem tibi concilies pleniorem. Cuius quidem auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, Coadiutori tuo Episcopo tit. Olbensi, iisque universis qui tuis curis sunt crediti, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VIII

AD R. P. D. ALPHONSUM ANDREOLI, EPISCOPUM RECINETENSEM ET LAURETANUM, QUINQUAGESIMO PLENO ANNO AB INITO SACERDOTIO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum allatum ad Nos sit, quinquagesimum sacerdotii natalem a te propediem actum iri, placet in partem venire, ut aequum est, gaudii laetitiaeque tuae. Nos

enim decet, eos in episcopatu fratres, qui diu multumque in provehendis christiani populi utilitatibus elaborarunt, peculiari aliquo benevolentiae Nostrae testimonio per occasionem honestare. Tuam equidem non ignoramus cum in sacri ministerii partibus navitatem, tum rectam diligentemque, in dioecesi Feretrana et postea in utraque ista, episcopalis muneris perfunctionem; item compertum habemus, quo studio effeceris, ut, quae calamitosissimum incendium Almae Lauretanae Domui peperit damna ac detrimenta, ea quam citissime, collecta undique stipe, repararentur, et populi pietas in novam Virginis Effigiem, quam Nosmet ipsi lustravimus et corona redimivimus, per stata solemnia excitaretur. Est igitur cur fidenter in tam diuturnum sacerdotii tui spatium respicias, quod, egregie factis refertum, benignissimus Deus in rationem promeritorum tuorum est sine dubio inducturus. Cum autem faustum tibi eventum magnopere gratulemur, tum votis omnibus petimus tibi amplissimam, Lauretana quoque Virgine deprecatrice, a Iesu Christo Pastorum Principe remunerationem. Cuius quidem auspicem et singularis caritatis erga te Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque utriusque istius dioecesis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die v mensis aprilis anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IX

AD R. P. GULIELMUM GIER, SUPERIOREM GENERALEM SOCIETATIS A VERBO DIVINO: DE SEMINARIO PRO NIGRITIS PROPEDIEM AUSPICANDO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Admodum gaudemus, Conlegium illud, quod in loco vulgo *Greenville*, intra dioecesis Natchetensis fines, nigritis recte educendis ad tempus constitueratis, proxime in eiusdem dioecesis civitatem, quae *Bay St. Louis* nuncupatur, et translatum et in domum missionis conversum iri, ubi adulescentes nigritae ad vestrum vitae institutum conformentur. Istud quod habetis, dilecte fili, propositum animoseque peragere contenditis, profecto cum naturae ipsi Societatis vestrae, tum officio docendi omnes gentes mandato Ecclesiae divinitus et Apostolicae huius Sedis praescriptis aptissime congruit. Cum enim partes sint vestrae, ut, ad exemplum Pauli Apostoli, *Nomen* et Verbum Dei portetis *coram gentibus*, consentaneum sane est, eo ipso vos

spiritu imbutos esse debere, quo Paulus, qui *Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus* debitorem se esse affirmabat; *non enim est distinctio Iudaei et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* In qua quidem re haud aliter vos agitis ac perpetuo egit, quantum per locorum condicionem licuit, Ecclesia catholica, cui plurima, recentiore praesertim tempestate, adiuncta est e nigritis soboles, eademque saepius tam clara virtutibus, ut insignes dignosque florentissimis christiani nominis aetatibus caelo martyres dederit. Neque dubium est, quin, successu temporis, quos Ecclesia Mater nigritas, per immensas regiones late diffusos, evangelicae doctrinae beneficio donandos suscipit complectiturque, ii, ad omnem expoliti humanitatem, ex inferiore, quo adhuc sunt, statu ad honestiorem vitae cultum moresque perveniant. Verumtamen, si aptius ac perfectius quiddam attingere hoc in genere volumus, iisdem ad Christi fidem adeoque ad civilem consuetudinem traducendis clerus indigena sese omnino det oportet. Atque utilissime quidem deliberatum est vobis, dilecte fili, qui ex nigritis ad religiosam vitam vocati videantur, eos in Sodalitatem a Verbo Divino adsciscere, sacerdotio postea initiandos, ut inter suos apostolatum aliquando gerant. Quod consilium idcirco inivistis, quia non modo est vobis persuasissimum, multo facilius hac via nigritarum ad Ecclesiam catholicam fieri posse ac maturari accessionem, sed etiam quia, pulcherrimo pietatis officio, proximi decessoris Nostri optata exsequi cupitis, cuius Epistola Apostolica, die XXX mensis novembris anno MCMXIX data, plura hac in re habeat, quibus nemo cordatus queat refragari. Etenim, ut decessoris Nostri animadversionibus insistamus, ex eo quod Ecclesia Dei est, suo ipsius instituto, catholica, nonne sequitur, oportere, ut unicuique stirpi vel genti sui sint sacerdotes, qui cum ea ortu atque ingenio, sensibus studiisque cohaereant? Nonne hi, praeterquam quod faciliorem ad suos aditum habent, eos ad fidem allicere in eaque stabiles efficere longe efficacius possint quam aliunde orti collectique sacrorum administri? Ceterum, adulescentes nigritae, sicut experiendo cognitum est, non ea sunt tarditate ingenii, ut illam nequeant assequi liberalium sacrarumque disciplinarum cognitionem, minime quidem inchoatam ac rudem, sed plenam atque absolutam, qua decessor Noster velle se eos imbui significabat. Suscepistis igitur, dilecte fili, provinciam in primis dignam in qua studium religionis animarumque vestrum exerceatur; quam quo laetiore obeatis exitu, id Nobiscum a Divino hominum Redemptore exposcite, ut adulescentes nigritae vocem illam exaudiant et sequantur e caelo demissam: *Ite et vos in vineam meam.* Sunt enim in Foederatis Americae Civitatibus multo plus centies centena eius generis millia, quibus idoneos cum missionales tum pastores

indigenas necesse est, quam primum fieri poterit, provideri. Itaque Seminario, quod haud ita multo post in civitate *Bay St. Louis* sollemnibus caeremoniis dedicaturi estis, bene precamur; idemque, accedente Episcoporum Americae praesidio, frequentissimis recteque animatis e nigra stirpe alumnis cupimus floreat. Incepto autem eiusmodi, quod tibi, dilecte fili, universaeque Sodalitati tuae summopere gratulamur, adsit Beatissima Virgo Apostolorum Regina, quae, ut primos Evangelii praecones patrocinio, verbo precibusque suis ad orbem terrarum Christo subigendum mirifice iuvit, ita alumnis vestris magna sine dubio pietatis virtutumque incitamenta admovere non desinet; adsit sanctus Ecclesiae Doctor Augustinus, in cuius tutela, optimo sane consilio, Seminarium esse voluistis, tamque ingenti nigritarum numero eam christianae sapientiae lucem copiamque impetret, qua olim Africae regiones fuisse locupletes historia testatur. Denique ad Nos quod attinet, scito, dilecte fili, quicquid ad fovendum saluberrimum eiusmodi apostolatum facere licuerit, facturos Nos perlibenter; intereaque caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, Sodalitati, cui praees, et nigritis, quorum geritis curam, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die v mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

X

AD R. P. D. IOANNEM BAPTISTAM NASALLI-ROCCA, ARCHIEPISCOPUM BONONIENSEM: SEPTIMUM ITALICUM CONVENTUM DE ORATORIIS DEQUE RELIGIONIS SCHOLIS BONONIAE, EODEM PRAESIDE, MOX FUTURUM, IMPENSE COMMENDAT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Septimum Italicum Conventum de Oratoriis deque Religionis Scholis propediem Bononiae, te praeside, habitum iri, periucunde accepimus; neque minus delectati equidem sumus cum in oblato libello gravissima ea legeremus rerum capita, quae in unoquoque coetu iis, qui istuc confluent, ad disceptandum propositurі estis. Eiusmodi sane Conventus – quorum primum anno trecentesimo ab obitu Philippi Nerii Brixiae actum curantibus eiusdem civitatis Oratorianis, alii quinque usque adhuc consecuti

sunt operâ et labore Salesianae Sodalitatis, quae hanc sibi provinciam in futurum cepisset – mirum quantum profuerunt Oratoriis pauloque serius Scholis Religionis late per Italiam propagandis, quibus christianae iuventutis disciplinae percommode prospiceretur. Dolendum quidem est ea verti tempora, quibus iuvenes, suo ipsorum arbitrio relicti, tam saepe in periculo fidei morumque versentur, et nullum huic arcendo plerumque exspectari liceat a parentibus atque a praeceptoribus remedium, utpote qui, cum in primis iuvenes ipsos recte educere et in officio continere debeant, suas partes, cum gravi eorundem iactura, prorsus neglegant. Maximae igitur necessitati respondent ea, quae Ioannes Bosco excitare coepit eiusque filii tam impense provexerunt, Oratoria; quo quotquot coiverint adulescentes, iam ii omnes, non modo per honesta oblectamenta ab insidiosis locis sociisque avocantur, sed etiam christiana explere officia assuescunt et sancta religionis morumque praecepta imbibunt. In erudienda autem iuventute altius ac perfectius quiddam persequuntur nostrae de Religione Scholae, quarum est illam supplere catholicae doctrinae institutionem, quam qui publicas scholas, praesertim medias, ut aiunt, et superiores, celebrant, aut nequaquam inveniunt aut mancam vitiosamque suscipiunt. In isto igitur septimo, cui tu, venerabilis frater, praeeris, Conventu, ea profecto agetur causa, qua nulla sit Nobis antiquior, nulla ad procreandam Italiae piam sanamque posteritatem utilior; desperandum enim de re publica foret, si iuvenes, cum a Deo Ecclesiaque alieni, tum sanctissimarum ignari aut contemptores legum succrescerent, quibus et singulorum et civitatis prosperitas continetur. Felicissimum sane Conventus vestri exitum vel ipsa Nobis despondet eorum frequentia, quorum proximus nuntiatur adventus. Affuturos enim novimus satis multos, ex Aemilia et aliunde, dioecesium Antistites, et, cum Rectore Maiore Salesianae Sodalitatis, plurimos ex ea ipsa sacerdotes, qui Oratoria ac Religionis Scholas, cum in Italia, tum apud exteras nationes moderantur, praetereaque magnum veterum alumnorum et, quos vocant, cooperatorum numerum. Sed etiam, venerabilis frater, quae collatis consiliis Bononiae decreveritis, videntur ea Nobis, etsi per Italicas regiones exsequenda potissimum, tamen apud exteras quoque gentes fructus haud mediocres ferre posse, si quidem, et per Salesianos sodales istuc undique congressos, et per commentarios, qui Societatis curâ pro singulis nationibus eduntur, Italici Conventus Acta – quod certe futurum est – pervulgentur usquequaque et inlustrentur. Interea non est cur animos vobis omnibus adiiciamus, quorum alacritatem diligentiamque cognovimus; est, potius, quare caeleste laboribus vestris auxilium, ut facimus, imploremus. Cuius quidem conciliatrix paternaeque benevolentiae Nostrae testis sit

apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater, et omnibus, qui erunt Conventus istius participes, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis aprilis anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XI

AD R. P. D. HUBERTUM OTTO, EPISCOPUM TIT. ASSURITANUM, ADMINISTRATOREM APOSTOLICUM VICARIATUS DE « KANSÙ OCCIDENTALI »: EMENSUM QUINQUAGINTA ANNORUM A SACERDOTIO SPATIUM GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Te, olim Urbaniani huius Conlegii alumnum, in eo esse ut quinquagesimum compleas ab inito sacerdotio annum, a dilecto filio Nostro Cardinali Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Praefecto nuper didicimus, qui optare se significavit ut publico aliquo honoris testimonio tua in Ecclesiam promerita ornaremus. Res profecto agitur, ad quam, ipsâ supremi, quo fungimur, apostolatus conscientiâ, propensi sumus; quicquid enim fit, vel in disiunctissimis regionibus, ad proferendam catholici nominis amplitudinem, id equidem intento gratissimoque animo prosequimur. Placet igitur tuam potissimum dilaudare caritatem, quae adhuc in hoc diuturno sacerdotii tui curriculo sic eluxit, ut a praestantissimis eius virtutis exemplis haud longe abfuisse videaris. Quo in genere memoratu dignum est, te non modo in deliciis habuisse pueros catechumenosque ad catholicam doctrinam instituere et verbum Dei, quaecumque dabatur occasio, praedicare studiosissime, sed etiam, cum miserrimi indigenae ad te saucii confugerent, eos tuis ipsius manibus patienter perhumaniterque curasse, neque minus te benigne cum missionalibus tuis egisse Episcopum, quibus aegrotantibus diu noctuque impiger assederis. Exploratum quoque est, quae tua, venerabilis frater, observantia pietasque in Apostolicam Sedem perpetuo fuerit, quamque sedulo tuorum animos Romani Pontificis caritate imbueris. Itaque tam sancte fructuoseque emensum horum quinquaginta annorum spatium vehementer tibi, venerabilis frater, gratulamur, cupimusque diu vivas, diu floreas, ista circumdatus corona filiorum, quibus quae tanta contulisti beneficia, ea Iesus Christus tamquam sibi collata abunde est caelestibus bonis repensurus. Quorum quidem auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater,

universoque clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI mensis aprilis anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XII

AD R. P. D. IOANNEM GAMBERONI, ARCHIEPISCOPUM VERCELLENSIUM: DE CONVENTU EUCHARISTICO TOTIUS PEDEMONTANAE REGIONIS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — De Conventu Eucharistico totius regionis Pedemontanae, qui Vercellis, in sede honoris tui clarissima, haud ita multo post habendus esset, probe meminimus, Nos abs te magna animi voluptate audisse, cum te Nos adeuntem admisimus; ominatique tum sumus atque optavimus, ut maximam ille in gloriam Augusti Sacramenti cederet, istorumque populorum caritatem in Iesum Dominum sub speciebus latentem acueret. Nuper autem ad Nos attulisti, quem nuntiaveras Conventum, coeptum die secundo absolutumque iri die sexto proximi mensis, eidemque adfuturos, cum ingenti fidelium multitudine, paene omnes ecclesiasticarum provinciarum Vercellensis et Taurinensis Antistites. Bene equidem Coetui isti precamur, certumque habemus fore ut, quos vobis ipsi spondetis, uberrimos inde fructus grex iste tuus et finitimae dioeceses percipiant. Neque enim in Vercellensibus tradita illa a maioribus fides pietasque deferbuit, neque apud ipsos illud oblitterari queat, Patres Concilii Vercellensis, anno ML, Berengarianam condemnavisse haeresim, sollemniterque confirmasse, Christum sub Eucharisticis velis revera adesse praesentem. Itaque, venerabilis frater, velimus, ut, quae per id temporis tractaturi estis, ea non in disputationes subtiliores abstrusioresque abeant, sed ad vitae usum actionemque spectent. Sic praeterea animorum foveatis ardorem, ut is non modo in triumphales honores Eucharistiae deferendos atque in splendidam denique pompam erumpat, sed etiam quam diutissime perseveret atque ad homines in christianae vitae instituto et in cultu Augusti Sacramenti confirmandos plurimum valeat. Age nunc date operam ut laetissimi eventi exspectationem sustineatis, omnia congruenter apparando. Atque ut rei faustitatem ipsi augeamus curamque Eucharistiae pie magnificeque colendae vobiscum participemus, scito, dilectum filium Nostrum Augustinum Ri-

chelmy, Cardinalem Taurinensium Archiepiscopum, a Nobis delegatum, qui Nostram in Conventu isto Eucharistico gerat personam; quod ille profecto, pro suo in Eucharistiam insigni studio, facturus digne est ac libentissime. Res, ceteroquin, ut ex optato succedat, Eusebius Episcopus et Martyr, cuius ab obitu millesimum quingentesimum et quinquagesimum annum recolitis, patrocinio efficiet suo; intereaque caelestium munerum conciliatricem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, cleroque et populo tuo, atque universis qui istuc congressuri sunt, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XIII

AD EMUM P. D. GULIELMUM TITULO SANCTAE CRUCIS IN IERUSALEM S. R. E. PRESB. CARD. VAN ROSSUM, SACRAE CONGREGATIONI DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTUM: DE EXPOSITIONE MISSIONARIA IN URBE ANNO SANCTO MCMXXV HABENDA.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Fidei propagandae studium Nobis cum sit, ut debet esse, praecipuum, singulares equidem curas cogitationesque solemus in ea omnia conferre, quaecumque ad catholicarum Missionum ordinationem atque incrementa pertinent. Huius rei, ut missa faciamus quae in vulgus sunt cognita, temet ipsum, dilecte fili Noster, testem in primis et conscium appellamus, quocum adhuc, cum saepe de Ecclesiae Dei apostolatu ageremus, haud semel consultavimus, quemadmodum hoc Missionum opus promovere usque melius liceret et catholicis hominibus familiarius cariusque efficere. Iam vero ad eiusmodi propositum assequendum maxime id arbitramur, ut tibi significavimus, profuturum, si in hac Urbe, christiani nominis capite, universa ad spectandum proponantur, quibus cunctarum totius catholici orbis Missionum natura atque actio, loca atque res inlustrentur. Quod cum tibi ipsi videatur apte ac decore posse fieri, statuimus, ut Anno Sancto MCMXXV, cum in hanc Almam Urbem Ecclesiae filii undique frequentissimi, ut Deo dante fore confidimus, pietatis causa confluent, *Expositio*, ut aiunt, *Missionaria* in Aedibus Vaticanis habeatur, quam, prudentia studiosaque voluntate tua freti, apparandam instruendamque tibi com-

mittimus. Tuum igitur est, dilecte fili Noster, iam nunc in tantum munus incumbere eaque inire consilia, quae ad rem feliciter absolvendam peropportuna duxeris. In quo non dubitamus quin naviter acriterque, pro tuo instituto, elabores, praesertim cum causa eiusmodi agatur, quae cum Dei gloria, Ecclesiae decore Missionumque utilitate est summopere coniuncta. Foveat vota Nostra suo patrocinio Fidelis a Sigmaringa, Protomartyr Sacri Consilii a Propaganda Fide, cuius in memoriam instituta saecularia sollemnia hoc ipso complentur die. Caelestis interea auxilii auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, iisque omnibus, quos consortes sociosque laboris in incepto persequendo delegeris, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssm̃us Dn̄us Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

13 martii 1923. — Titulari episcopali Ecclesiae Mariamensi praefecit R. D. Martinum Rücker, presbyterum archidioecesis Sancti Iacobi de Chile.

14 martii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Chonarum, R. P. D. Eduardum Duarte Silva, hactenus Episcopum de Uberaba.

16 martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sareptanae, R. P. Eduardum Doorley, sacerdotem dioecesis Elphinensis, quem constituit Coadiutorem, cum iure futurae successionis, R. P. D. Bernardi Coyne, Episcopi Elphinensis.

20 martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Verinopolitanae, R. P. Ioannem Mariam Cesson, e Societate Lugdunensi Missionum ad Afros, deputatum in Vicarium Apostolicum Togonensem.

21 martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thespiensi, R. D. Ioannem Boros, Vicarium generalem dioecesis Lugosiensis Rumenorum.

26 martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Raphanearum, R. P. Paulum Pichot, e Congregatione a Spiritu Sancto, deputatum in Vicarium Apostolicum de *Majunga*.

26 martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bubastensi, R. P. Augustum Hermann, e Societate Lugdunensi Missionum ad Afros, deputatum in Vicarium Apostolicum de *Volta Inferiore* in Africa.

5 aprilis. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Tharonensi, R. P. D. Georgium Gauthier, hactenus Episcopum Philippopolitanum, quem contituit Coadiutorem, cum iure futurae successionis, R. P. D. Pauli Bruchési, Archiepiscopi Marianopolitani.

6 aprilis. — Cathedrali Ecclesiae de Uberaba, R. P. D. Iosephum Tupinambá de Frota, hactenus Episcopum Sobralensem.

21 aprilis 1923. — Cathedrali Ecclesiae Rapotensi, R. D. Gulielmum Mac Neely.

30 aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Hieropolitanae, R. P. D. Michaëlem Baldetti, hactenus Episcopum Cortonensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

CREMONEN.

BENEDICTIONIS SACRI FONTIS

Die 10 iunii 1922

QUAESTIO. — Dato nuper libello exponebat Rm̃us Ordinarius Cremonensis, ex institutis sancti Caroli in Concilio Provinciali Mediolanensi VI, teneri parochos, tum in sabbato sancto tum in pervigilio Pentecostes, adire respectivam quemque ecclesiam matricem seu plebanam, in eaque sacri fontis benedictioni adsistere. « Peracta vero solemni benedictione – haec « habet instructio – vasculum quod portavit offeret ut aqua impleatur; « impleti os diligenter occludet: tum illud velo albi coloris conteget, in pa« rochialemque ecclesiam debita veneratione deferet, clericis duobus pro« xime praeeuntibus, qui luminaria portent. Ad ecclesiam suam ubi vene« rit, vasculum cum luminibus in fonte baptisterii collocabit: inde in « sacristiam recta veniet ubi mox sacris Missae vestibus se induit sicque « indutus cum clero et populo ad fontem procedit ubi canit antiphonam « *Sicut cervus*, etc. Mox vasculum aquae baptismalis capit effunditque in « fontem, ac deinde, adiuvante diacono aliove ministro, aliam praeterea « āquam quanta satis sit ad eum implendum, quem statim claudet ».

Verum, subdebat Episcopus, inolitam iam esse consuetudinem, ut in pervigilio Pentecostes haec omnia prorsus omittantur: sabbato autem sancto absque ulla solemnitate vasculum aquae e benedictione fontis in ecclesia matrice ad paroecialem affertur, ut plurimum, ab aedituo: quilibet vero parochus in sua ecclesia, ante Missam, benedictionem aquae cum cereo peragit usque ad oleorum infusionem exclusive: deinde aquâ ita benedictâ replet fontem, in quem effundit parvam illam aquae quantitatem e matrice allatam. – Equidem, attenta cleri paucitate, gravius hac nostra aetate videtur parochis, per eos dies adeo oneratis, adsistentiam in ecclesia matrice superaddere: ex alia vero parte ritus benedicendae aquae per infu-

sionem cerei paschalis nonnisi cum populi offensione omitteretur. Ideoque postulabat ut: 1°) firmo manente onere accipiendi a matrice, in signum subiectionis, Olea sancta feria V in Coena Domini, singulis paroeciis adiudicaretur ius peragendi baptismalis fontis benedictionem, in omnibus iuxta *Romanum Missale;* 2°) in pervigilio Pentecostes liceret, prout iam ferret consuetudo, benedictionem fontis omittere, si iam peracta fuisset sabbato sancto.

Requisitus ab hac Sacra Congregatione de consensu interesse habentium, retulit deinde Ordinarius tum Capitulum cathedrale, tum longe maiorem partem plebanorum seu ecclesiarum matricum rectorum, consentire sane ut ius benedicendi fontem cuivis parocho agnosceretur, quod nonnullis videbatur iam provisum per can. 744 § 1 Codicis iuris canonicis ad mentem resolutionum ab hac S. Congregatione datarum in *Spalaten.*, 7 iun. 1892, *Utinen.*, 13 ian. 1899; *Novarien.*, 16 febr. 1900; *Lucan. et Ariminen.*, 22 april. 1907.

Quidquid sit de hac interpretatione, in casu, attento consensu ut supra praestito ab interesse habentibus, nihil prohibere videtur, quominus parochi ecclesiarum filialium possint fontem baptismalem in propriis ecclesiis benedicere iuxta ritum *Missalis Romani.*

Vicissim, aliqua difficultas adesse videtur circa unicam fontis benedictionem in anno, seu in sabbato sancto dumtaxat, omissa benedictione in pervigilio Pentecostes. Ansam huic difficultati praebere videtur dictio disiunctiva *Ritualis Romani:* « aqua vero solemnis baptismi sit eo anno benedicta « in sabbato sancto Paschatis *vel* sabbato Pentecostes », unde videretur alterutra dumtaxat, non utraque, esse in praecepto; eo vel magis quod datus nuper Codex, can. 462, 7°, in recensione functionum paroecialium, nominet solam benedictionem fontis in sabbato sancto, silentio premens fontis benedictionem in sabbato Pentecostes; nec renuit Sacra Congregatio Concilii, in resolutionibus supra citatis, consuetudinem omittendi benedictionem in pervigilio Pentecostes, uti tolerandam concedere.

Ex adverso haec praestat animadvertere: iuxta magis receptam interpretationem, quam enucleat et sequitur laudata resolutio S. C. Concilii in *Lucan. et Ariminen.*, 22 april. 1907, verba *Ritualis Romani* id tantum sonant, quod in propatulo est, aquam nimirum adhiberi benedictam in sabbato sancto Paschatis pro baptismis conlatis medio tempore inter Pascha et Pentecosten; benedictam vero in sabbato Pentecoste praevio, pro baptismis collatis reliquo anni tempore; minime itaque inde concludere licet alterutram benedictionem non esse in praecepto; de quo, e contrario, apertissima prostant S. R. C. decreta, v. gr. 2878 (*Urbevetan.*, 7 dec. 1844), 3331 (*S. Hippolythi*, 13 april. 1874) et alia plura item relata in supradicta

causa *Lucan. et Ariminen.* – Quod Codicem attinet, can. 462, 7°, declaratur dumtaxat functionem esse parocho reservatam, nisi Capitulum id peragat, fontem baptismalem in sabbato sancto benedicere: non ideo excluditur benedicendum esse fontem in pervigilio Pentecostes. Enimvero ad mentem can. 2 ad corrigendam legem aliquam liturgicam *expressa* Codicis mentione opus est, qualem in casu nemo dicet intercedere. Quaerere autem num ex can. 462, 7, benedictio fontis in pervigilio Pentecostes sit necne reservata parocho, non obstante silentio dicti canonis, in rem praesentem non attinet, quamvis pro simili reservatione non incongrue quis ex analogia legis et ex can. 6, 2°, argueret.

Demum si nonnumquam, ut praefertur, Sacra Concilii Congregatio declaravit contrariam inolitam consuetudinem *tolerari posse*, id non simpliciter edixit, sed *ob peculiares casus circumstantias*, ad modum privilegii contra legem, quod, ut planum est, invocari nequit extra casum expressum (cf. can. 49 s.). – Huiuscemodi vero peculiares casus circumstantiae in proposita specie nullae afferuntur.

Resolutio. – Omnibus itaque perpensis, Emi Patres Sacrae Congregationis Concilii, in plenario conventu in Palatio Apostolico Vaticano habito die 10 iunii 1922, ad proposita dubia, nimirum:

I. *An et quomodo benedictio sacri fontis fieri possit etiam in paroeciis filialibus in casu;*

II. *An tolerari possit consuetudo benedicendi aquam baptismalem semel in anno, seu Sabbato sancto Paschatis dumtaxat, in casu;*

respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative*, servatis *Missalis Romani* rubricis;

Ad II. *Negative.*

Facta postmodum de praemissis SSmo Domino Nostro Pio PP. XI relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Mori, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus apostolicis nominati sunt:

20 martii 1923. — *Vicarius Apostolicus de Majunga in insula Madagascar*, R. P. D. Paulus Pichot, e Congregatione a Spiritu Sancto.

— *Vicarius Apostolicus de Volta Inferiore in Africa occidentali*, R. D. Augustus Hermann, e Societate Lugdunensi Missionum ad Afros.

22 martii. — *Vicarius Apostolicus Togonensis in Africa occidentali*, R. D. Ioannes Maria Cesson, e Societate Lugdunensi Missionum ad Afros.

Insuper decreto huius Sacri Consilii diei 27 aprilis 1923 renunciatus est *Praefectus Apostolicus de Swaziland in Africa meridionali*, R. P. Peregrinus Bellezze, O. S. M.

Pariterque renuntiati sunt: R. D. Iosephus Wolny, Praeses Consilii Nationalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei, *pro Austria;* R. D. Augustus De Smedt, Praeses Consilii Nationalis eiusdem P. O., *pro Belgio.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

BAIOCEN. ET LEXOVIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI SORORIS THERESIAE A IESU INFANTE, ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM, IN MONASTERIO LEXOVIENSI.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, TUTO *procedi possit ad solemnem praefatae venerabilis Servae Dei Beatificationem?*

Brevi admodum annorum cursu, qui nempe nondum plenum adaequavit decennium, desideratissima haec cunctisque acceptissima venerabilis Servae Dei Sororis Theresiae a Iesu Infante Beatificationis causa integrum, quod sibi peragrandum erat, emensa est confecitque iter.

In hoc autem, sicut ignorat fere nemo, plures variaeque continentur iudicialis ordinis formulae, quas pro Beatorum et Sanctorum Caelitum

impetrandis honoribus, utpote rei gravitati divinoque implorando auxilio apte sapienterque accommodatas, venerandae antiquitatis induxerant et sanxerant monumenta; eas proinde ratas habuit, confirmavit et perfecit iuris canonici Codex, quem, die festo Pentecostes, anno millesimo nongentesimo decimo septimo, pro Apostolica auctoritate sua promulgavit rec. mem. Benedictus Papa XV. Quam ob rem, post longioris temporis, immo, prout usu non raro venisse constat, post unius etiam aut plurium saeculorum spatium, aliis quandoque Causis eamdem licuit optatam contingere metam. Quod sane qui parumper secum ipse reputet animoque revolvat, hic profecto, quin facili sinat se admiratione capi, illuc potius strato rectoque tramite indubitanter adducitur, ut causarum Beatificationis et Canonizationis, quae peculiaris natura sit atque indoles, propius attingat, quandoquidem Deus, qui in Servis suis virtutes gignit, idem Ipse est, qui de publico ipsorum in sua Ecclesia cultu, Ecclesiaeque nomine exhibendo, per Romanum Pontificem, suum in terris Vicarium, singulari providentia disponit.

Ut enim in Ecclesia militante publicae venerationis defunctis hominibus deferri queant honores, duo haec potissimum requiruntur, quaeque idcirco iure merito *substantialia* solent compellari: sunt autem virtutes et miracula, quemadmodum, quoties occasio ferebat et monebat locus, diserte renuntiarunt palamque professi sunt Romani Pontifices. Ita in Bulla Canonizationis sancti Antonii Patavini felic. rec. Gregorius Papa IX: « Nos attendentes, quod, licet ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Domi- « num in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, iuxta « illud: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae;* ad hoc « tamen, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo « sunt necessaria: virtus morum et veritas signorum; merita videlicet et « miracula, ut haec et illa sibi ad invicem contestentur, quum nec merita « sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum « inter homines testimonium sanctitati. Sed, dum merita sana praecedunt « et clara succedunt miracula, certum praebent indicium sanctitatis, ut « nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis praeceden- « tibus et signis subsequentibus exhibet venerandum; quae duo ex verbis « Evangelistae plenius colliguntur: *Illi autem profecti praedicaverunt ubi- « que, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* » (apud Benedictum XIV, *De Servor. Dei Beatificat. et Canonizat. Beat.*, lib. I, cap. XXVIII, n. 9).

Probatis autem virtutibus, maius vel minus intercedere suevit temporis intervallum, ante quam divinitus patrata accederent prodigia, deque illis coram sacra rituum Congregatione initium sui iudicialis ca-

peret actio; ita scilicet, ut interdum virtutes a miraculis saecularia separent spatia, interdum vero, post apostolicum latum super virtutibus decretum, quum in promptu habeantur miracula, eis desuper cito inchoetur disceptatio, eaque feliciter ad finem perducta, alterum subsequatur Apostolicae Sedis solemne iudicium; sicque, utroque exstante evulgatoque, uno super virtutibus, altero super miraculis decreto, omne, quod pro formali seu solemni obtinenda Beatificatione e praescripto iuris ipsiusque rei natura deposcitur, praesto iam esse, ex iis, quae supra posita sunt, naturali descendit itinere. Quumque in hac altera nuper descripta condicione versetur venerabilis sororis Theresiae a Iesu Infante Beatificationis causa, quantum Causa ipsa opportuna incidat tempori, quantoque christifidelium prospiciat bono, exinde arguere licet atque aestimare, quod, ceu Theologorum communis sententia est: « Vera miracula non possunt « fieri nisi virtute divina: operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem: « et hoc *dupliciter: uno* quidem *modo* ad veritatis praedicatae confirmatio- « nem: *alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicuius, quem Deus homi- « nibus vult proponere in exemplum virtutis...* » (S. Thom., 2ª, 2 quaest. 178, art. 2 in corp.).

Itaque peculiare hoc nec parvi momenti Causae adiunctum effugere nequivit sacrum hunc Ordinem, qui suos velut ante oculos illud sibi constituere visus est. In generalibus namque eiusdem sacri Ordinis comitiis, quae, die sexta huius mensis martii, coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI celebrata sunt, proposito per Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, causae Relatorem, dubio: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* TUTO *procedi possit ad solemnem venerabilis Servae Dei sororis Theresiae a Iesu Infante Beatificationem?* omnium qui convenerant, tum Reverendissimorum Cardinalium, tum Patrum Consultorum haec una eademque suffragatio fuit: *tuto procedi posse.* Quamvis autem Sanctissimus Dominus Noster in eamdem prolixo animo descenderit sententiam, noluit tamen tantae utilitatis tantaeque expetitae laetitiae Causam supremo Suo decretorio absolvere iudicio, sed, ceu de more, hoc Sibi prorogandum duxit, ut interea precationi suppeteret spatium ad implorandum divinae Sapientiae praesidium et lumen. Quumque mentem Suam patefacere statuisset, hodiernam selegit auspicatissimam diem, qua sancti Patriarchae Ioseph, inclyti B. M. V. Sponsi Ecclesiaeque Patroni percolitur festum; ideoque, divina Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Se-

cretario, eisque adstantibus, solemniter edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Servae Dei sororis Theresiae a Iesu Infante Beatificationem.*

Hoc decretum publici iuris fieri, in acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri iussit, decimo quarto Calendas apriles anno MCMXXIII.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

BAIONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI MICHAËLIS GARICOÏTS, SACERDOTIS, FUNDATORIS CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM A SACRO CORDE IESU, VULGO « DE BÉTHARRAM ».

Super dubio

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, TUTO *procedi possit ad solemnem praefati venerabilis Servi Dei Beatificationem?*

Anno millesimo octingentesimo octuagesimo sexto, qui tertius supra vigesimum erat, ex quo venerabilis Dei Servus Michaël Garicoïts, meritorum magis quam dierum plenus, a mortali hac statione recesserat, in ecclesiastica Baionensi curia initium sui canonica sumpserat inquisitio super eiusdem Dei Famuli sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum fama. Post elapsum fere quinquennium, actis ad finem perductis Romamque delatis, et aliis interea paratis, quae paranda e praescripto erant legis, introductio obtenta est causae Beatificationis: quandoquidem quae ad hoc necessario demonstrari oportebat, demonstrata revera fuisse, felix faustusque comprobavit eventus.

Ex eo namque, qui ordinaria potestate adornatus fuerat, processu, sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum emersit fama, qua Servus Dei Michaël, quoad inter homines est diversatus, gavisus fuit, eoque vita functo, quin fama ipsa brevi concluderetur funeris hora, eiusdem Servi Dei memoriam, actiones atque opera, tamquam individua prosecuta est comes, maiora quoque in dies suimet suscipiens incrementa ita scilicet, ut a Spi-

ritu Sancto illa processisse dicenda sit, sicut, quum de sancto Bonaventura ageretur, scite sic scripserat Pavinus: « Quae fama magis attendenda « est; quia etiam post mortem ad haec usque tempora perseveravit: unde a « Spiritu Sancto dici debet processisse; nam quae non sunt ab Eo, non du- « rant » (apud Benedictum XIV, *De Serv. Dei Beatificat. et Canoniz. Beat.*, lib. II, cap. XXXIX, n. 9). Ex vita insuper venerabilis Michaëlis variisque vitae partibus, quae in eisdem episcopali iure conditis tabulis fideliter distincteque describuntur, patuit, nullum peculiare promi posse obstaculum, quod heroicarum virtutum, suo tempore, conficiendae probationi manifesto repugnaret adeo ut, cuiusdam ad instar peremptoriae exceptionis, vel ipsam prohiberet introductionem iudicii; quemadmodum, cum super scriptis venerabili Michaëli attributis praevia quaestio fuit, doctrinae, quam profitendam ac tuendam ille susceperat, bonitas posita est in aperto atque puritas. Hoc autem eo tanti pluris est faciendum, quo, dum omnia circum, tunc temporis, gallicanam et iansenisticam redolebant luem, venerabilis Michaël nedum circumstantis aëris corruptione se infici passus non fuit, verum et, vix per eum licuit, ut de sua insalubritate remittens, paulatim sanesceret circumfusus aer, magno animo adlaboravit atque fructuose: ideoque ita se gerens et haec agens, mirifice confirmare visus est notam illam atque celebratam sancti Gregorii Magni sententiam: « Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum « esse cum malis. Sicuti enim gravioris culpae est, inter bonos bonum « non esse, ita immensi est praeconii, bonum etiam inter malos exstitisse » (*Moral.*, lib. I, cap. I).

Quum igitur cuncta praesto essent elementa, quibus causa Beatificationis Servi Dei Michaëlis Garicoïts suum apud sacram rituum Congregationem caperet exordium, a rec. mem. Leone Papa XIII signata idcirco fuit, quam vocant, Commissio, cuius praecipuus effectus hic fuit, ut nimirum, quavis adempta locorum Ordinariis potestate, unius Apostolicae Sedis reservationi subiecta maneret Causa. Eapropter, qui construendi postea fuerunt, iidem nonnisi Apostolica auctoritate constructi sunt processus, ex eisque praesertim idoneae paresque eductae sunt probationes sive pro heroicis declarandis virtutibus sive pro duobus, quibus opus erat, probandis miraculis, prout certo praeclaroque documento exstat unum et alterum editum riteque promulgatum Apostolicum decretum, quod novissimae iudiciariae huius actionis est fundamentum.

Verumtamem, vix atque per Signaturam, ut inquiunt, Commissionis, Sancta Sedes huic Beatificationis causae suam apposuit manum, non ante ad ulteriora in Causa progredi licuit, quam, ope peculiaris cuiusdam appositeque conditae inquisitionis, ostendissent actores, Servo Dei Michaëli

Garicoïts nullas exhibitas fuisse nullasque exhiberi publici et ecclesiastici cultus significationes. Atque sapienter id quidem; nam cum de religioso cultu alicui Servo Dei, apud homines in Ecclesia militante exhibendo, agitur, nedum christiana plebs, verum et quaelibet alia, quaecumque ea demum sit, in ecclesiastica aut civili societate constituta dignitas gravissimo huic vel minime immiscere se potest negotio, quippe quod ad unum Romanum Pontificem, Christi in terris Vicarium, privativo pertinet iure. Quo posito, naturali exinde hoc descendit itinere: quod videlicet universam ex ordine recensenti seriem actorum, quae huc usque gesta fuisse constat, binae occurrant Sententiae, quarum una, anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo, ab Iudice per Baionensem Episcopum delegato, instantibus actoribus, prolata et ab Apostolica Sede confirmata, qua declaratum fuit, *nec circa sepulcrum, seu tumulum, nec alibi circa reliquias, imagines aliasque memorias Servi Dei Michaëlis Garicoïts quidquid reperiri, quod publicum vetitumque cultum quoquomodo praeseferat;* suprema vero altera Romani Pontificis, Christi in terris Vicarii, Sententia, de qua hodiernum agit Apostolicum decretum.

Equidem, ad eamdem integre perficiendam actorum seriem, hoc unum, iuxta sacri huius fori statuta, supererat inquirendum, utrum nempe venerabili Servo Dei Michaëli Garicoïts *tuto* decerni possent Beatorum honores. Quod sane praestitit Reverendissimus Cardinalis Ludovicus Billot, causae Relator; in generali quippe Congregatione, quae, die decima huius mensis aprilis, coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI habita est, proposito per eumdem Reverendissimum Cardinalem Dubio: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* TUTO *procedi possit ad solemnem venerabilis Servi Dei Michaëlis Garicoïts Beatificationem?* omnes qui convenerant, tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores, *tuto procedi posse* unanimi responderunt suffragatione. Nihilominus Sanctissimus Dominus noster supremum distulit Suum ferre iudicium, cunctosque adhortatus est Suffragatores, ut Secum preces fundere pergerent ad uberius lumen et consilium a divina Sapientia impetrandum. Quumque mentem Suam patefacere statuisset, hodiernam designavit Dominicam secundam post Pascha, qua die ab Ecclesia proponitur Evangelium *Boni Pastoris;* ideoque Sacris prius devotissime operatus, ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Ludovicum Billot, causae Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Servi Dei Michaëlis Garicoïts Beatificationem.*

Hoc decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri, Litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis, expediri iussit, decimo septimo Calendas maii anno MCMXXIII.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI ROBERTI S. R. E. CARDINALIS BELLARMINO, SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?

Si qua umquam exstitit super virtutibus Causa, in qua perdiu copioseque fuit disceptatum, haec profecto est venerabilis Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino Beatificationis causa. Huius namque historiam sinceram et non corruptam si quis paullo altius repetat, variasque sibi in memoriam revocet iustoque pretio aestimet vices, quibus illa longo varioque trium saeculorum spatio obnoxia facta fuit, illuc facili rectoque tramite equidem ille adducitur, ut probe vereque dignoscat, quid tandem sit, cur, nonnisi vix duos ante iam elapsos annos, tandiu vehementerque exspectatum Apostolicum prodierit decretum, quo rec. me. Benedictus Papa XV praefati venerabilis Dei Famuli Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino heroicas declaravit sancivitque virtutes. Ista enim, quae tam diuturna tamque insueta praenobili Causae huic inlata fuit cunctatio, quaeque eiusdem actorum intercepit cursum, qui prosper non minus quam expeditus inde ab initio processerat, nequaquam cum perspectis et exploratis, quibus Causa ipsa intus potitur et ditescit, componi potest praeclaris meritis eisque immo manifesto repugnat; ideoque eadem cunctatio ex aliis omnino, longeque generis diversi, quaeque extrinsecus obvenerunt, repetenda est de industria paratis impedimentis. In quam quidem sententiam eo pronior quis descendit, quo inde a prima lectissimae Causae huius propositione, cum videlicet nullum adhuc subrepserat ad-

versae partis studium, in id unum, hoc est heroicas agnoscere et profiteri venerabilis Bellarmino virtutes, mirum in modum iudicia conspirare cernit virorum, in peculiari sacri huius fori disciplina magistrorum, eosque inter, illius, cui obiiciendi commissum erat munus, quique in officio Fidei Promotoris ipsum proxime antecesserat Benedictum Papam XIV, eique nomen Prosper Bottini, Lucensis, Archiepiscopus Myrensis. Hic sane in Congregatione generali super virtutibus venerabilis Bellarmino, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, coram sa. me. venerabili Innocentio Papa XI, hoc suum promebat votum:

« Ex Divini Spiritus testificatione Beatus dicitur vir, ad quem exor-
« nandum tres caelestis animi dotes conspirant, videlicet, ut inventus sit
« sine macula, post aurum non abierit, nec speraverit in pecuniae thesauris;
« adeoque insolitum et heroicum triplex hoc decus esse statuit Sapiens
« divinitus afflatus, ut exclamet, correptus admiratione tam eximiae vir-
« tutis: *Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.*
« Merito igitur approbandae videntur in gradu heroico virtutes Cardinalis
« Bellarmini, qui adeo fuit inventus sine macula, ut nec in venialem quidem
« culpam sponte ac consulto umquam inciderit; et post aurum certe non
« abiit, qui non solum in pauperum et Ecclesiae usus illud erogaverit, sed
« frequenter aes alienum ob id contraxerit, et sacris Horis in choro Archie-
« piscopus quotidie interfuerit, ut suo labore lucraretur proventus paupe-
« ribus distribuendos; nec profecto speravit in pecuniae thesauris, quum
« sacros honores, a quibus locupletari poterat, nonnisi coactus acceperit,
« oblatos ecclesiae Capuanae reditus, dum illam dimisit, respuerit, con-
« sanguineos in vita non ditaverit, et moriens nihil eis reliquerit, nisi parvam
« Crucem argenteam cum Sanctorum reliquiis, et adeo pauper obierit, ut
« sine Pontificis auxilio non potuisset ei consuetum funus exhiberi. Quum
« igitur ex his praerogativis constet abunde concurrisse in Bellarmino illa
« omnia, quae ad declarandum virum Beatum requirit Sapiens, desiderari
« profecto non possunt heroica caritas in Deum frequentissimo orandi studio
« contestata; zelus admirabilis salutis proximorum, quo incensus egregie
« pro Ecclesia, praesertim in haereticos et voce et scriptis pugnavit, demissio
« animi, mansuetudo, contemptus omnis periturae felicitatis, et spes unice
« in Deum fixa, aliaeque virtutes, quas in illo, praeter multos testes iuratos,
« admirati sunt tot insignes probitate et sapientia S. R. E. Cardinales ».
Aliisque additis, suffragio suo finem imponebat gravissimis hisce verbis: *Quamobrem, Beatissime Pater, quum egregie soluta videantur, quae contra Ven. Servum Dei ex munere meo obieci, in praesenti, pro veritate sententiam proferre iussus, censeo plene constare de ipsius virtutibus tam theologalibus quam cardinalibus in gradu heroico* (*Posit. sup. Virtut.*, vol. I, pag. 44–45).

Hactenus Prosper Bottini, Fidei Promotor, cuius in animo ideo tam firma, ceu nuper videre fuit, de venerabilis Bellarmino virtutibus inederat opinio; quippe in eisdem processibus, quos pro fideli et vigili crediti sibi muneris perfunctione versatus lustratusque ille fuerat, una simul cum virtutibus narrata quoque et descripta adinvenerat miracula, quae, precibus et meritis Servi sui Roberti Bellarmino, et statim fere post pretiosum illius obitum, patraverat Deus, quibusque ab eo heroice exercitas, ratas habere et confirmare dignatus fuerat virtutes. Et revera, Prosperum Bottini, Fidei Promotorem, hac sua opinione minime fefellisse seipsum, hodiernus felix faustusque commonstrat exitus. Binae siquidem, quae ad cognoscendum propositae fuerunt sanationes, vetustae sane sunt, quin tamen praefato ex capite aliquid detrimenti capere illae queant. Etenim, si iuridica vis spectetur, probationes, quibus utuntur actores, utpote quae opportuno tempore collectae, necessariis se praebent instructas praesidiis, quae, cum de probandis miraculis agitatur quaestio, conditae deposcunt leges. Quod si ab iuris praescripto ad intimam perpendendam rei substantiam convertatur animus, melior procul dubio harum duarum sanationum in conspectum nunc se prodit conditio atque tunc erat, cum sequutae illae fuerunt; quandoquidem iudicium, quod, tribus abhinc ferme saeculis, circa praeternaturalem utriusque facti qualitatem, ediderant, riteque postmodum in apostolico processu auditi et excussi ample diserteque testati fuerant medicus et chirurgus, qui sive puerulo Ignatio De Lazzaris sive piae mulieri Arsiliae Altissimi a curatione exstiterant, plenam atque solemnem sui nanciscitur confirmationem in iudicio, quod plane conforme hodierni artis salutaris periti viri, a sacro hoc Ordine adlecti, cunctis prius sedulo perpensis et consideratis, sibi ferendum esse pro sua scientia et conscientia muneris sui esse duxerunt.

Quapropter, sicut exspectandum et necessarium profecto erat, hae sanationes binae, vetustati ereptae, et recentioris scientiae lumine illustratae, vindicatae et firmatae, tamquam veri nominis prodigio effectae, ulla sine difficultate habitae sunt, et haberi debebant ab imperitis quoque et medicarum rerum ignaris hominibus, quippe quos nullo sane pacto fugere poterat, numquam fieri posse, ut, quemadmodum utroque in casu disceptationi subiecto, post exoratum venerabilis Bellarmino patrocinium, evenisse ex actis et probatis constat, una simul sint duo haec: *organicus nempe morbus* et *organici morbi instantanea et perfecta sanatio*. Quominus enim hoc accidat, indubitanter obstant naturae creatae vires, quas eidem constituit et praefinivit naturae auctor Deus. Natura siquidem, ut sciunt omnes et ignorare potest nemo, cum de reparandis agitur humani corporis partibus materialiter laesis, etsi artis subsidio adiuta, agere tamen

non potest per saltus, sed eidem a suo Creatore praestituti fines, quosque praetergredi ipsa nequit, consentiunt solummodo, ut in hoc suo redintegrationis opere lente, gradatim et pedetentim procedat. Quae sane omnia eiusmodi quum sint, quae iustae nulli obnoxia fieri queant dubitationi, nullumque prudentem et cordatum virum inveniant contradictorem, eorum idcirco vi et potestate omnem exstingui oportuit disceptationem; antepraeparatoriam proinde et praeparatoriam, quae praecesserant, Congregationes, generalis subsecuta est Congregatio, quae, die decima huius currentis mensis aprilis, coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI coacta fuit. In qua a Reverendissimo Cardinali Aidano Gasquet, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est dubium: *An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sua quisque ex ordine pandiderunt suffragia, quae laeto intentoque animo prosecutus est Sanctissimus Dominus noster; sed, uti de more, mentem Suam aperire distulit, graviterque Secum reputans, quanti res ponderis esset, spatium Sibi sumpsit divinae opis implorandae. Hodierna vero Dominica secunda post Pascha, qua die Iesus Christus in Evangelio exhibetur exemplar et forma *Boni Pastoris, qui animam suam dat pro ovibus suis*, sacris Mysteriis piissime celebratis, ad Vaticanas Aedes arcessiri iussit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Aidanum Gasquet, causae Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter edixit: *Constare de utroque proposito miraculo;* de primo scilicet *instantaneae perfectaeque sanationis pueruli Ignatii De Lazzaris a gravi cerebri commotione et a crasso haematomate in regione temporali dextera, quae duo ex eiusdem Ignatii ab alto in terram prolapsu fuerant producta;* deque altero *instantaneae perfectaeque sanationis Arsiliae Altissimi ab ulcerato tumore haemorrhoidali.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit decimo septimo Calendas maii anno MCMXXIII.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

ORDINIS FRATRUM MINORUM

DUBIA

DE CEREO PASCHALI

A Rmo Procuratore generali Ordinis Fratrum Minorum sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exhibita sunt, videlicet:

Per decretum n. 3479 *Societatis Iesu*, die 8 februarii 1879, ad II, proposito dubio: « Num quoties datur benedictio Ssmi Sacramenti cum Ostensorio, tempore paschali, cereum paschalem toties accendere liceat? » responsum fuit: *Negative*.

Nunc quaeritur circa sensum huius responsi:

« I. An cereus paschalis accensus in Vesperis debeat exstingui etsi Benedictio cum Ssmo Sacramento immediate sequatur? ».

« II. An, si Missae solemnes aut solemnes Vesperae, tempore paschali, celebrentur coram Ssmo Sacramento solemniter exposito, cereus paschalis accendendus sit, vel non? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Posse cereum paschalem retineri accensum.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 13 aprilis 1923.

✠ A. Card. Vico, Episcopus Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

V

CONIMBRICEN.

DUBIA

Sacerdos Antonius Garcia Ribeiro de Vasconcellos, Cathedralis Ecclesiae Conimbricen. in Lusitania Archidiaconus et dioecesis Calendarista, de sui Revmi Episcopi Ordinarii licentia, Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, pro authentica resolutione, sequentia dubia:

I. Die in quam ab Ordinario transfertur externa solemnitas festi Sacratissimi Cordis Jesus, manetne privilegium celebrandi Missam solemnem et Missas lectas de eodem festo, iuxta decretum Sacrae Rituum

Congregationis N. 3960 in una *Romana* diei 23 iulii 1897 aut observari debet quod de Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa statuunt « Additiones et variationes in Rubricis Missalis ad normam Bullae *Divino afflatu*, tit. II, n. 3 »?

II. Cum Officium divinum privatim persolvitur, nulla post Laudes et ceteras Horas, ob rationabilem causam, interruptione facta, an finalis Antiphona Beatae Mariae Virginis semel tantum debeat dici, nempe post Completorium? Et quatenus affirmative, an etiam idem dicendum in recitatione chorali, si officium non terminetur, nec discedatur a Choro nisi Completorio expleto, uti solet a plurimis annis in Ecclesia Cathedrali Conimbricensi?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Quoad dies in quibus permittuntur Missa cum cantu et Missae lectae servetur Decretum N. 3960 *Romana* 23 iulii 1897. Quoad Commemorationes et Orationes in eisdem Missis et quoad Commemorationem Missae impeditae, serventur novae Rubricae Missalis, tit. V, n. 3 et 4, et tit. VI, n. 1, et 4.

Ad II. In utroque casu sufficit ut Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis semel tantum, post Completorium recitetur.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 20 Aprilis 1923.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

NOMINATIONES

Decreto huius Sacrae Congregationis, die 31 martii 1923, Ssmus Dñus Noster nominare dignatus est R. P. D. Ernestum Filippi, Archiepiscopum titularem Sardicensem, *Delegatum Apostolicum Constantinopolitanum.*

Decreto huius Sacrae Congregationis, die 18 aprilis 1923, R. P. Paulus Voillard, Vicarius Generalis Congreg. Missionariorum Africae, nominatus est *Delegatus ad nutum S. Sedis* in Seminario Graeco-Melchitico a S. Anna in Ierusalem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 10 aprile 1923, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi alla augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Eminentissimi e Reverendissimi Signori Cardinali e i Reverendissimi Prelati e Consultori teologi, che la compongono, hanno discusso e dato il loro voto, dapprima sul dubbio detto del *Tuto* per la solenne beatificazione del Ven. Michele Garicoïts, prete secolare, fondatore della Congregazione dei Preti del Sacro Cuore di Gesù, detta di Betharram; e quindi sopra due miracoli, che si asseriscono operati da Dio per intercessione del Ven. Servo di Dio Cardinale Roberto Bellarmino, della Compagnia di Gesù, i quali miracoli sono proposti per la sua beatificazione.

Martedì 24 aprile 1923, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi alla augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Eminentissimi e Reverendissimi Signori Cardinali e i Reverendissimi Prelati e Consultori teologi, che la compongono, hanno discusso e dato il loro voto, dapprima sul dubbio detto del *Tuto* per la solenne beatificazione del Ven. Servo di Dio Roberto Cardinale Bellarmino, della Compagnia di Gesù; indi sul dubbio dell'eroismo delle virtù esercitate dal Ven. Servo di Dio Fr. Mariano di Rocca Casale, laico professo dell'Ordine dei Frati Minori.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre si è degnato di nominare:

4 aprile 1923. L'E.mo Sig. Cardinale Camillo Laurenti, *Protettore delle Suore di Nazareth in Milano.*

7 » » Il Rev.mo P. Felice M. Cappello, S. I., *Consultore della Sacra Congregazione del Concilio.*

16 » » Monsig. Giulio Serafini, Vescovo tit. di Lampsaco, e il Rev.mo P. Giuseppe Lemius, degli Oblati di Maria Immacolata, *Consultori della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

20 aprile 1923. L'E.mo Sig. Card. Gaetano De Lai, *Protettore delle Piccole Suore della Sacra Famiglia.*

» » » L'E.mo Sig. Card. Giovanni Tacci, *Protettore delle Madri Pie di Ovada.*

22 » » L'E.mo Sig. Cardinale Andrea Frühwirth, *Protettore delle Suore di Maria SS.ma Addolorata, in Roma.*

24 » » L'E.mo Sig. Card. Francesco Ehrle, *Membro della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

16 aprile 1923. Monsig. Giuseppe Francesco Busch, Vescovo di S. Cloud (Minnesota).

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

27 ottobre 1922. Monsig. Giovanni Krupinski, della diocesi di Cracovia.

27 marzo 1923. Monsig. Costantino Bohaczewskyi, della diocesi di Premislia.

6 aprile » Monsig. Giuseppe Freri, dell'archidiocesi di Lione.

» » » Monsig. Emmanuele Béchetoille, della medesima archidiocesi.

19 » » Monsig. Francesco Van Antwerp, della diocesi di Detroit.

Prelati Domestici di S. S.:

23 dicembre 1922. Monsig. Massimo Pilon, dell'archidiocesi di Edmonton.

7 marzo 1923. Monsig. Giovanni Di Vano, della diocesi di Viterbo.

26 » « Monsig. Dionigi Morris, dell'archidiocesi di Toronto.

» » » Monsig. Giovanni I. Kelly, della diocesi di Hamilton.

» » » Monsig. Giuseppe A. O'Sullivan, della medesima diocesi.

27 » » Monsig. Augusto Bizzarri (Roma).

» » » Monsig. Basilio Pynilo, della diocesi di Premislia.

7 aprile » Monsig. Francesco Gozo, della diocesi di Savona.

12 » » Monsig. Tommaso Mc Laughlin, della diocesi di Newark.

14 » » Monsig. Onilo Milot, della diocesi di Nicolet.

» » » Monsig. Lodovico Vittore Thibaudier, della medesima diocesi.

17 » » Monsig. Lorenzo Weinsteffer, della diocesi di Losanna.

18 » » Monsig. Giovanni Allasia, dell'archidiocesi di Torino.

19 » » Monsig. Giovanni M. Doyle, della diocesi di Detroit.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno: classe civile:

16 aprile 1923. Al sig. Federico Calmeyn, dell'archidiocesi di Malines.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 aprile 1923. Al sig. Alfonso Versteylen, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Al sig. Rodolfo De Reding-Bibéregg, dell'archidioc. di Atene.
» » » Al sig. Alessandro Martinengo, della diocesi di Savona.
11 » » Al sig. Vittorio Buratti, della diocesi di Biella.
12 » » Al sig. Giorgio de Noaïllat, dell'archidiocesi di Tours.
14 » » Al sig. Pietro de Magalhães Machado, dell'archidiocesi di Rio Janeiro.
» » » Al sig. cav. Pio Pagliucchi (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

1 marzo 1923. Al sig. archit. Giovanni Stuyt, residente all'Aja.
24 » » Al sig. Giovanni Antonio Caminada, della diocesi di Haarlem.
26 » » Al sig. Giuseppe Gisquière, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Al sig. Augusto Berselli, dell'archidiocesi di Bologna.
7 aprile » Al sig. avv. Giacomo de Vivie-Regie, della diocesi di Agen.
» » » Al sig. Brasida Poggio, dell'archidiocesi di Atene.
» » » Al sig. dott. Agostino Molfino, della diocesi di Savona.
9 » » Al sig. Livio Montalbetti (Roma).
10 « » Al sig. Paolo Duverger, dell'archidiocesi di Cambrai.
14 » » Al sig. dott. Sebastiano Indelicato, della diocesi di Acireale.
15 » » Al sig. Leopoldo Silli (Roma).
16 » » Al sig. conte Paolo de Rougè, della diocesi di Amiens.
» » » Al sig. Paolo Van Hamme, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Al sig. Davide Fiorani, della diocesi di Fabriano e Matelica.
» » » Al sig. Alessandro Micheli, della medesima diocesi.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

16 aprile 1923. Al sig. Giuseppe Cottino, dell'archidiocesi di Torino.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. R.ma Monsignor Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

16 marzo 1923. Monsig. Antonio De Giovanni, della diocesi di Ugento.
26 » » Monsig. Enrico Agostini (Roma).
27 » » Monsig. Lorenzo Yang, del Vicariato Apostolico di Canton.
» » » Monsig. Michelangelo Grancelli, della diocesi di Verona.
5 aprile » Monsig. Valentino Dabrowski, della diocesi di Culma.
» » » Monsig. Michele Jackowskyi, dell'archidiocesi di Leopoli.
» » » Monsig. Giovanni Aleksewicz, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Stefano Juryk, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Stefano Horodeckyi, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Michele Cehelskyi, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Pietro Shankowskyi, della medesima archidiocesi.
7 » » Monsig. Giacomo Chiaffrino, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Monsig. Giuseppe Fravega, della medesima archidiocesi.
9 » » Monsig. Carlo Francesco le Blanc, dell'archidioc. di Utrecht.
» » » Monsig. Emmanuele Phares, dell'archidiocesi di Parigi.
10 » » Monsig. Giorgio Major, della diocesi di Giavarino.
17 » » Monsig. Giovanni Brennan, della diocesi di Auckland.
» » » Monsig. Cirillo Bařinka, dell'archidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Giovanni Müller, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Luigi Carame, della diocesi di Soissons.
» » » Monsig. Alessandro Jaivenois, della diocesi di Troyes.
18 » » Monsig. Francesco Kulhánek, della diocesi di Králové Hradec.
» » » Monsig. Luigi Wittich, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Sládeček, della diocesi di Litoměřice.
» » » Monsig. Adolfo Kühnl, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Solomanno Széll, della medesima diocesi.
20 » » Monsig. Antonio Weber, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Venceslao Pohl, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Jaroslao Varhulik, della medesima diocesi.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

20 marzo 1923. Il sig. conte Oscar Bopp de Oberstadt, della dioc. di Rockford.
22 » » Il sig. conte Fidelio Pálffy, dell'archidiocesi di Strigonia.
11 aprile » Il sig. Francesco de Papen, della diocesi di Monastir.

17 aprile 1923. Il sig. marchese Felice Santangelo, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Il sig. Giuseppe Vivó y Cervera, dell'archidiocesi di Burgos.
23 » » Il conte Giuseppe Caccia Dominioni, dell'archidioc. di Milano.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

22 marzo 1923. Monsig. Salvatore Fiore, della diocesi di Nicosia.
5 aprile » Monsig. Antonio Carolazzo, della diocesi di Concordia.
6 » » Monsig. Francesco Petrucci, della dioc. di Città della Pieve.
16 » » Monsig. Alfonso Maria Frecceri, della diocesi di Savona.
17 » » Monsig. Brunone Schneider, dell'archidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Innocenzo Obdržálek, della medesima archidiocesi.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

21 marzo *1923.* Il sig. Ippolito de Luiski, della diocesi di Culma.

Cameriere d'onore extra Urbem *di S. S.:*

11 aprile 1923. Monsig. Guglielmo Flüeler, della diocesi di Coira.

Cappellano segreto d'onore di S. S.:

20 marzo 1923. Monsig. Paolo Zsámbski, dell'archidiocesi di Strigonia.

Cappellano d'onore extra Urbem *di S. S.*

18 aprile 1923. Monsig. Alessandro Kovács, della diocesi di Vacia.

NECROLOGIO

4 febbraio 1923. Monsig. Carlo O' Reilly, Vescovo di Lincoln (U. S. A.).
25 marzo » Monsig. Enrico Sanchez y Paredes, Arcivescovo di Puebla de los Angeles (Messico).
1 aprile » Monsig. Emmanuele Antonio Arboleda, Arciv. di Popayan
8 » » Monsig. Mariano Antonio Espinosa, Arciv. di Buenos Aires
14 » » Monsig. Federico Hopkins, Vescovo tit. di Atribi, Vicario Apostolico dell'Honduras inglese.
2 maggio » Monsig. Edmondo Luypen, Vescovo tit. di Oropo, Vicario Apostolico di Batavia (Isola di Giava).

PAG.

Expositione Missionaria in Urbe anno sancto MCMXXV habenda. – *24 aprilis 1923* 222

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 224

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Cremonem. – Benedictionis Sacri Fontis. – *10 iunii 1922* 225

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Nominationes 228

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Baiocen. et Lexovien.* – Decretum de *tuto* pro Beatificatione ven. Servae Dei Sororis Theresiae a Iesu Infante, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, in Monasterio Lexoviensi. – *19 martii 1923* 228

PAG.

II. *Baionen.* – Decretum de *tuto* pro Beatificatione ven. Servi Dei Michaëlis Garicoits, sacerdotis, fundatoris Congregationis Presbyterorum a Sacro Corde Iesu, vulgo « de Betharram ». – *15 aprilis 1923* 231

III. *Romana.* – Decretum de miraculis pro Beatificatione ven. Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino, Societatis Iesu. – *15 aprilis 1923* . . 234

IV. *Ordinis Fratrum Minorum.* – Responsiones ad dubia de cereo paschali. – *13 aprilis 1923* 238

V. *Conimbricen.* – Responsiones ad dubia. – *20 aprilis 1923* 238

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Nominationes 239

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. C. dei Riti: *Congregazioni varie* . 240

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 240

III. Maggiordomato di Sua Santità: *Nomine* 243

IV. Necrologio 244